(14

TEMPORA

SUBSECIVA

ANGELI CIAMPI

PROFESSORIS PHILOSOPHIÆ, AC SYNTHESIS IN LYCEO SALVATORIS, PHYSICÆ, AC MATHESEOS IN ARCHIEPISCOPALI GYMNASIO.

TOMUS I.

NEAPOLI AN. MDCCCXXXII
EX TYPOGRAPHIA TRAMATER
Sunt penes auctorem Vico Majorani n.° 41.

EXCELLENTISS. AC REV.me DOMINE ,

Opus , cui titulus *Tempora Subseciva Angeli Ciampi etc*, summa cum voluptate perlegi. Auctor nunc primum colligit , typisque mandat carmina , quae sparsa , aliisque , atque aliis in operibus edita videbantur. In iis non nugas canoras inveni , quales esse solent quorumdam litteratorum naeniae, qui Philosophiae parum consulti tunc sibi plaudunt, cum plures Classicorum phrases, et hemistichia colligunt, congeruntque. Pura latinitas, elegantia non vulgaris, scita sententiarum vis , lucidus ordo, et nobilis illa negligentia, quam aemulari exoptat Terentius in Andriae Prologo , ubique nitent. Epigrammata tanto acumine, tantaque jucunditate scripta sunt , ut eorum ipsum forte Martialem non poeniteret. Hendecasyllabi vero adeo festivi , ac venusti videntur esse, ut certe Catullianos dicere non dubitaverim. Uno verbo *Subseciva haec tempora*, in quibus me tamdiu oblectavi , satis ostendunt eruditos lepores tunc esse numeris omnibus absolutos , cum atramento Philosophiam redolente scriptitantur. Cum porro nihil in iis deprehenderim , quod sacra vel Majestatis , vel Religionis jura offendat, immo plurimum, quod Auctoris , ac Patriae nostrae laudi tribuendum sit , typis committenda censeo.

Datum Neapoli — Pridie Idus Majas MDCCCXXXII. — Blasius Ruberti R.s Rev.

*

HERCULANENSIS ACADEMIÆ SOCIIS

ANGELUS CIAMPIUS

Quo sub nomine profero libellos,
Qui latent tenebris, petuntque lucem?
Illustres Socii, quibus resurgens
Vitam denique debet Herculanum,
Vobis dedico. Vos potestis uni
Illos spargere, quo carent nitore:
Ad solis radios nitent tenebrae.

HENDECASYLLABORUM

LIBER I.

I.

Ad Josephum Castaldium appellationum judicem.

Castaldi, tibi mitto, quos probante,
Quos te judice profero libellos.
Sublatum sibi pabulum queruntur
Jam blattae, ac tineae: quid eruditis
Si fastidia mentibus creabunt
Leves versiculi, inficetulique?
Si tu, quos ego credidi premendos
Æternis tenebris, jocos probasti;
In te tu recipis meum periclum,
In portu mea navigat carina.
Tu legum Themidisque, Palladisque
Judex candidus, integerrimusque,
Si nunquam Themidem, semel videris
Tuo Pallada prodidisse voto.

2.

Ad libellorum obtrectatores.

Quid cultor Sophiae, Matheseosque
Nugas extulit, edidi tque ineptas,

Quas Phoebus pater haud probat, chorusque
Æquo lumine non videt sororum?
Qui sic rancidulo malignus ore
Tingit versiculos meos veneno,
Quod prodest sciat esse non ineptum.
His ludens obiter, vel otiosus
Saecli incommoda saepius fefelli.

3.

Quo die nobilis puella Maria de Andrea Excell. Marchionis supremi aerario Praefecti filia se Deo vovet.

Mundi deliciae valete, abite:
Me nec flectere, nec movere possunt,
Quae attritis miserabiles labellis
Ludunt blanditiae inficetiores.
Ictu saucia, quem manus superna
In cor non fragili jacit sagitta,
Quae mundus bona pollicetur, odi.
Sordent divitiae, theatra, coetus,
Et quae gaudia, quamque stultiores
Hymenis pereunt facem puellae.
De Andreae soboles secunda nulli
Claro sanguine, fronte liberali,
Mentis viribus, integro pudore,
Et has, et similes locuta voces
In templum cita pervolat, Deoque
Se totam vovet, accipitque velum.
O factum bene, pulchriterque factum!
Dum mundi bona respuit caduca,
Æternam sibi comparat coronam.
Novit ponere calculos Virago.

4.

Quo die eadem puella nobilis vota perficit.

Pugna in difficili puella victrix,
Votorum tibi meta jam paratur,
I, dignam cape lauream periclo.
Avitum genus, inclytumque nomen,
Ætas integra, blandulique mores,
Velox ingenium, decorque felix
Te ad mundi illecebras simul trahebant.
Tu, quae pectora firmiora frangunt,
Ausa spernere, conditos recessus
Claustri seligis, abdicasque saeclum,
Te Christo sine fraude mancipata.
Nil factum meliusque, fortiusque,
Nihil splendidius, sagaciusque.
Vicisti illecebras periculosas,
Sprevisti bona fluxiora vento,
Fecisti tibi nuptias perennes.
Pugna in difficili puella victrix,
I, dignam cape lauream periclo,
De mundo domito refer triumphum.

5.

Nomen Jesu.

Huc huc hendecasyllabi affluentes
Jocis, lusibus, elegantiisque,
Jesu nectite nomini coronam.
Nihil dulcius est, venustiusque,
Nihil splendidius, potentiusque.
Mel dulcedine, gratiis venustas,
Splendor lumine, viribus potestas

Jesu cedere nomini fatentur.
Nomen blandisonum remulcet aures,
Nomen fulgidulum fugat tenebras,
Nomen nobile, molle, delicatum
Cor laetum facit, erigitque mentem.
Si te sollicitat, premitque cura,
Jesu nomine cura dissipatur:
Si te vis Erebi potentis urget,
Jesu vis Erebi cadit vocato:
Si te, quot mala sunt, simul fatigant,
Jesu in nomine spes redit, salusque.
Nihil dulcius est, venustiusque,
Nihil splendidius, potentiusque.
Est nomen super omne, cui creatum
Genu flectere, quicquid est, tenetur.
Huc huc hendecasyllabi affluentes
Jocis, lusibus, elegantiisque,
Jesu nectite nomini coronam.

6.

Em.mo Aloysio Cardinali Ruffo Archiepiscopo Neapolitano Roma Neapolim reduci post electionem. Pontificis Pii VIII.

I, Ruffum pete Praesulem, Thalia,
Quem Romam prius, et subinde fatum
Nobis dixerat invidere rumor (*a*).
I pernix, reducique, sospitique
Pastori, domino, patri, patrono
Fer, quas promere gratulationes
Lycei socii jubent magistri.

(*a*) Ruffum primum Summum Pontificem electum, deinde morbo pene occidisse rumor caluit.

Sed, ne tempore non suo moreris,
Quem tot sollicitant, premuntque curae,
Jam sanctam senis osculata dextram
Verbis rem tribus explices memento.
Dic nos sollicitos fuisse nuper,
Dic nunc incolumem videre laetos,
Dic in publica vota comprecari,
Ut vivat Pyliam quater senectam.

7.

Em.mo Aloysio Cardinali Ruffo Roma Neapolim reduci post electionem Pontificis Gregorii XVI.

Longum post iter, arduumque cursum
Ruffus munere sanctiore functus
Ad nos incolumis redit, citusque.
Adite hendecasyllabi, jocisque
Centum ludite, millibusque centum:
Pectori madido eruditione
Hae sunt deliciae innocentiores.
Pastori reduci hinc, et hinc frequentes
Dum sunt, qui sine fraude gratulantur,
Passim dicite quos dedit timores,
Cum coelo hinc abiit ciente nimbos (*a*),
Passim gaudia, quae attulit, referte,
Dum nos lumine nunc beat sereno.
Sit vox, quae resonet semel, semelque:
Nunquam, qua hinc abiit, dies resurgat,
Semper, qua huc rediit, dies colatur.

(*a*) Quo die Ruffus Neapoli Romam profectus est, horrida tempestas coelum contraxerat.

8.

Em.^mo Aloysio Cardinali Ruffo ob Oratorium privatum valetudinis caussa impetratum.

Humanissime Praesulum, volentem,
Ut par est, tibi gratiam referre,
Vires deficiunt. Piget, sed aram,
Quam morbus mihi saepe denegabat,
Si tu restituis, sacris diurnis,
Ut pro me referat Deum precabor,
Quem cum foenore spero redditurum.
Largitor Deus omnium bonorum
Nulli largior est, benigniorque,
Quam aegris, et miseris opem ferenti:
Dat danti deciesqne, centiesque.

9.

Em.^mum Aloysium Cardinalem Ruffum Neapolim post decennium reducem meis Philosophiae Elementis donaturus.

Dono si tenues meos libellos,
Antistes, tibi nec satis politos,
Nec dignos hominum eruditiorum,
Ne me, te rogo, dixeris superbum:
Quod tempus vetuit dicare, dono (*a*).

(*a*) Philosophiae Elementa Praesuli della Torre inscripta, si minus dicare, donare potui.

10.

Em.mo Cardinali Ruffo Institutioni publicae Praefecto.

I, Ruffum pete, Musa, qui secundus
Est nulli, et sibi comparatur uni
Forti pectore, fronte liberali,
Sanctis moribus, integro pudore:
I nostras age gratulationes,
I, fer publica vota civitatis
Poscentis Pyliam patri senectam.
Ruffus, cum stygiae paludis hydra
Foedis flatibus inquinaret orbem,
Nostris expulit, arcuitque terris:
Ruffus, cum faceret dolosa fucum
Incautis, vigil, impigerque cavit,
Ne tetrum biberet juventa virus:
Ruffus nunc juvenum Institutioni
Unus praesidet. O gregem beatum!
O factum lepidum, diemque laetum!
Jam nullae insidiae, lupique nulli,
Jam nullae poterunt nocere fraudes.
Ruffus pascua laetiora praebet,
Et fontes aperit salubriores.
O factum lepidum! O gregem beatum!
I, Ruffum pete, Musa, qui secundus
Est nulli, et sibi comparatur uni,
I nostras age gratulationes,
I, fer publica vota civitatis
Poscentis Pyliam patri senectam.

11.

Francisco Colangelo Stabiensi Episcopo Institutioni publicae Praefecto meas Terentii fabulas dicaturus.

Morbi ut taedia longa sublevarem ,
Coepi vertere fabulas Terenti (*a*),
Absolvi , et tibi dedico mearum
Unum praesidium , decusque rerum:
Tu nugas aliquid meas putasti.
In me tot bene facta contulisti ,
Quot nullis valeam modis referre ;
At saltem cupio memor videri.
Si fronte excipies meos libellos ,
Qua me non semel excipis , semelque ,
Conatus nihil invidos timentes
Et haec , et veniens videbit aetas.

12.

Francisco Colangelo Stabiensi Episcopo Institutioni publicae Praefecto, cum Logicae, ac Metaphysicae cathedram in Regio Gymnasio mihi deberi retulit.

Quod , Praesul , tibi debeo , volebam
Dignis dicere versibus : Thalia
Nostris sarcina sustinenda nervis
Non est haec , ait , et jubet silere.
Ungues rodere desii , satisque
His absolvere rem modis putavi :
Quod , Praesul, tibi debeo , Thaliae
Non est sarcina sustinenda nervis.

(*a*) Anno 1825 diuturno morbo jactatus Terentii fabulis vertendis operam dedi.

13.

Xaverio Durinio Aversanorum Antistiti, qui ob mea Physicae Elementa ejus hortatu, sumtibusque latine edita candelabris argenteis me donavit.

Disertissime Praesulum, putasti
Nugas esse aliquid meas, mihique
Tuo nomine nomen addidisti.
Inscriptos tibi qui probant libellos
Doctum judicium tuum sequuntur.
Debebam tibi plurimum, volebam,
Quas re non poteram referre grates,
Verbis reddere, nec datur potestas:
Urges muneribus, novisque vinclis
Gaudes nectere jam satis ligatum.
Quo nunc me licet expedire pacto?
Vel quo munere te remunerabor?
Ingratum facis esse non volentem.

14.

Philosophus, et Christianus.

Cum multumque, diuque cogitassem
Qua sint denique pensitanda lance,
Quae mundi bona quisque concupiscit;
En quem denique calculum recepi.
Plenos qui Sophiae resumsit haustus,
Assis unius aestimanda censet.
Christum qui petit, antequam sequatur,
Nec flocci facit, abdicatque prorsus (*a*).

(*a*) Christianus in baptismate Satanae, operibus, et pompis ejus abrenunciat.

Nihil tristius , inficetiusque ,
Nihil fluxius est , caduciusque.
Solent artibus improbis parari ,
Curis non sine parta possidentur ,
Cum reris minus , avolasse cernis.
Ergo, qui sapit, alter est , et alter ,
At sero videt optimus sophorum,
Quod Christi videt , efficitque tiro.

15.

Peccatum , non pœna facit miseros.

Impune in scelus omne dum ruebat ,
Miratus sibi quidlibet licere ,
Hoc vere est , Nero dixit , *imperare* (*a*).
Idem , cum sibi detrahi videret
Viventi imperium , relictus inquit :
Hoc vere est miserum esse, perditumque (*b*).
Novit se Nero , seriusque novit.
Non fecit miserumque , perditumque ,
Qui dixit patriae Senatus hostem (*c*) ,
Jam se fecerat ipse , cum putavit
Nihil , quod sibi non liceret , esse.
Peccatum miseros facit nocentes ,
Non quae denique poena deprehendit.

(*a*) *Negavit quemquam principem scisse quid sibi liceret.*Suet.Vita Ner.

(*b*) *Se vero praeter ceteros inaudita, et incognita pati respondit, qui suum imperium vivens amitteret.* Suet. ibidem.

(*c*) *Legitque se hostem a Senatu judicatum , et quaeri, ut puniatur more majorum.* Suet. ibid.

16.

Amicitia medicorum fugienda.

Amicos mihi cura comparandi,
Dum vixi, potior fuit, priorque.
Adjunxi omnigenos, et undecunque,
Subtristes, hilares, graves, facetos,
Imberbes, juvenes, viros, senesque,
Patronos, medicos, sophos, poetas,
Nummatos, inopesque, nobilesque,
Urbanos, nitidosque, rusticosque.
Quid quisque ingenio, quid arte possit,
Cui te clauseris, explicesve totum,
Quem prorsus fugiasve, seligasve,
Usus me docuit satis probatus.
Si vis vivere, si cupis valere,
Nunquam cum medicis habenda res est.
Obtrudunt *recipe hoc*, *et hoc* valenti:
Ægrum visere, ni voces, recusant:
Nihil convenit, omnibus vocatis:
Unum selige, caeteri susurrant.
Quid is, quem statuis tibi Galenum?
Ne te deserat, infrequensve visat,
Nulla sedulus obtinebis arte:
Preces praeterit aure contumaci.
Mittis munera, non capit libenter:
Das nummos, ait esse non honestum.
Dum quo Protea vinculo tenebis
Frustra tecum agitas, domum stat ante
Ferox Persephone, foresque pulsat.

17.

Vita caelibis.

Vitam vivere caelibem parasti :
O factum bene , pulchriterque factum !
Latratrix (*a*) aberit domo perennis.
Securos tamen haud putes licere
Somnos carpere. Quid fugis Charybdim ,
Si in Scyllam ruis ? Imminent tot hostes ,
Quot consanguinei tui feruntur :
His , his ut caveas , satis cavendum.
Nemo , si indigeas , dabit trientem :
Omnes , si quid habes , hiant , petuntque.
Neges , improbus audies, ferusque :
Dabis , nullus erit modus petendi ,
Et , quod Xenocrati jecur cieret ,
Dum fructus rapitur tui laboris ,
Aures perpetuis sonant querelis :
Spem mentitur ager , molesta lis est ,
Fur evertit opes , domum ruina ,
Et casus alii periculorum
Succedunt sibi singulis diebus.
Perit res tua , neminique prodest :
Tu fraudas genium , tui , quod aegre ,
Guttatimque tuae paras senectae ,
Indulgent vitiis , inertiaeque.
At saltem referunt , aguntve grates ?
Nemo est , qui tibi debeat vel assem :
Tu vel , quod comedis , bibisque , debes :
Carens conjuge , liberisque , jure ,
Quod cuique est proprium , cares fruendi. (*b*)

(*a*) Uxor canis instar domi latrare solet. Hinc actor apud Plautum. *Egon ducerem oblatratricem domum!*

(*b*) Jus fruendi commune est, at vel hoc carere caelibem putant avidi heredes.

Quisquis denique plus sibi relictum
Sperans, si pereas; cupit, studetque,
Quamprimum ut pereas, nec erubescit,
Nec est cautio sentias, aitque:
Hujus vulturis hoc erit cadaver.
Corvos fallere fac scias hiantes.

18.

Vis, et favor.

Ne morosior indigeret aetas,
Dum vixit, studiisque, litterisque
Totis viribus Impiger vacavit.
At, quos denique protulere fructus
Lustrorum sibi plurium labores,
Et vis, et favor abstulisse gaudent,
Et, quod bile jecur facit tumere,
Ne qua injuria facta diceretur,
Summus exoritur, caditque coelo
Qui solus sapit, eminetque solus.
Hic ut in vacuum venit, capitque
Justa, quod lubet, occupatione.
O quae tempora, quae ruina morum!
Dum vis, et favor impetu feruntur,
Et solatia quae forent senectae
Jubent praeripere impudentiores,
Cur bonas juvenes sequantur artes?

19.

Qui titulis inhians nec valetudini, nec honestati consulit, stultissimus est.

Inclarescere cogitat Lupercus,
Unumque hoc agit, hoc laborat unum,

*

Movet, quos lapides potest movere,
Noctu nititur impiger, diuque,
Malis artibus abstinere nescit.
Fit clarus titulisque, honoribusque,
Sola qui cruce dignior fuisset,
Nec se denique respicit, novosque
Affectat titulos, novosque honores,
Unumque hoc agit, hoc laborat unum,
Movet, quos lapides potest movere,
Noctu nititur impiger, diuque,
Malis artibus abstinere nescit.
Hydrops dum sitiens, bibensque crescit,
Nec finem facit interim bibendi:
Montis dum super arduum cacumen
Saxum tollere Sisyphus laborat,
Tabescit miser, adspicitque sero
Se falsa ob bona vera perdidisse.
Est virtus caput omnium bonorum,
Bonumque est potius salus, priusque.
Qui malas caret hac, et hac per artes,
Et fulget titulisque, honoribusque,
Conspectum facit improbi cadaver,
Et dignam ciet execrationem.
Quam stultum male calculus fefellit!

20.

Mundus non theatrum, sed macellum dicendum est.

Mundum credidit esse qui theatrum,
Rem, me judice, non putavit ipsam:
In mundo laniique, victimaeque
Sunt, quot sunt homines mali, bonique.
Quo quisque est meliorque, sanctiorque,
Mactatur citiusque, diriusque.
Dirum dicere debuit macellum.

21.

Ut quisque est, alios videt.

Si dico tibi Cajus est scelestus,
Scelestissimus est ais, Luperce.
Si dico bonùs est, Luperce, Cajus,
Ne credam nimium mones colori.
Vis credi bonus, et malus probaris:
Ut quisque est, alios solet videre.

22.

Improbi omnia sibi licere, probi parum decere putant.

Improbi mihi bella suscitantes,
Nil est, quod sibi non putant licere,
Armisque omnigenis petunt, premuntque.
Oblatum auxilium probi ferentes,
Est parum, sibi quod putant decere,
Et scuto tenui tegunt, brevique.
In certamine non paris duelli
Sors me denique, quae solet, manebit.
Non miror mihi, quod solet, futurum,
Miror, quod soleat, dolet, querorque.
Si prudentior, expeditiorque
Esset calculus improbi, probique;
Alter nil sibi diceret licere,
Alter plus sibi cerneret decere.
Ut vexet malus innocentiorem,
Uti viribus haud licet vel aequis:
Ut bonum bonus erigat cadentem,
Decet, quas habet, explicare vires.
Haec sententia si magis placeret,

Vel nusquam caput improbi levarent,
Vel sectis cito cornibus jacerent.

23.

SS.ma Virginis Patrocinium.

Divinam quoties opem rogare
Vitae summa jubet laboriosae,
Sanctae Virginis invocare nomen
Mos est, quae facilis favet patrona.
Nam, dum fulmineis rubet sagittis
Quae me dextera territat Tonantis,
Vires sufficit, erigitque Virgo,
Iratumque Deum facit benignum:
Exorat facile patrona natum,
Nato judice, si patrocinatur.

24.

Christi Passio.

Eheu! sol caput aureum recondit!
Heu! tellus ruere in chaos minatur!
Tristes dicite cogitationes
Quis opprobria, contumeliasque
Tot unus patitur, quot ante nulli
Pati contigit impudentiori? =
Qui humanam Deus induit figuram =
Cur turpi a cruce pendet, et latrones
Inter sustinet interire Numen? =
Ut primi scelus expiet parentis =
Quis caedi jubet, et jubet necari?
Quis sputis, alapisque, sentibusque
Illudit capiti innocentiori? =

Est homo necis auctor, et minister =
O feris homo pejor Africanis!
O nulla scelus hostia expiandum!
Quid audacius, impudentiusque?
Quid crudelius est, ferociusque?
Sol condit caput aureum, quod horret
Testis criminis esse tam nefandi:
Quae tellus ruere in chaos minatur,
Odit, dum fremit, excutitque tergo,
Quod est nescia sustinere pondus.

25.

Verus Christianus est vere beatus.

Vitam vivere qui cupis beatam,
Noli credere somniis sophorum:
Vel dant, vel tibi verba pollicentur.
Verus qui studet esse Christianus,
Vera perfruitur beatitate:
Certus numinis accidisse nutu
Quidquid acciderit boni, malique,
Securus videt, et nihil secunda,
Fortuna nihil improba movetur.
Hic fons, et caput est beatitatis.

26

Expedit esse Christianum.

Cum sit vita hominis σκοπος malorum,
Quemvis expedit esse Christianum.
Christi discipulus crucem ferentis,
Quae crux est sua, suscipit libenter.
Hinc et spe mala temperat bonorum,

Et vitae bona praecipit futurae.
Si felicior est, beatiorque,
Qui, horas dum numerat nigras, et albas,
Nigras invenit esse pauciores;
Quemvis expedit esse Christianum.

27.

Malum, quod invaluit, aegre vellitur.

Qui Sodalitium vetus regebat
Clarum nomine, dotibusque centum,
Cum legens socios ineptiores
Plures sordibus inquinasset annos:
Sensit denique, credîditque posse,
Si rursus legeret bonos sodales,
Rursus reddere pristino nitori.
Dum pars integra, quae silens fremebat,
Plaudit consilio salubriori,
Pars ineptior, inficetiorque
Pallet, rumpitur, obstrepit, minatur:
Qui justum fremitum aestimarat assis,
Movetur strepitu impudentiore.
Hic miri nihil accidit, novique.
Vult sui similes bonus, malusque,
Et suas petit hic, et hic per artes.
Quod longum invaluit malum per usum,
Frustra, vellere qui cupit, laborat.
Dum modestia laeditur, siletque,
Impudentia laedit, obstrepitque,
Quam nos vidimus usque firmiorem
Hydram crescere, posteri videbunt.

28.

Fratribus Marchioni Francisco, et Equiti Aloysio De Andrea.

Ohe jam satis est, satis, satisque,
Par fratrum titulisque, honoribusque
Centum nobile, millibusque centum,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Tot factis bene, fronte sic amica,
Tanto me excipitis favoris aestu,
Clamandum ut mihi terque sit, quaterque:
Ohe jam satis est, satis, satisque,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Exceptus bene, pulchriter, venuste,
Parem reddere gratiam tenetur:
Vos, dum reddere cogito, pigetque
Nullis posse modis, novis, novisque
Nexum pergitis obligare vinclis.
Ohe jam satis est, satis, satisque,
Rivos claudite, prata sat biberunt.
Qui reddi sibi, quod dedit, recusat,
Solvendo facit imparem, bonumque
Ingratum jubet esse, vel videri:
Turpi hoc stigmate displicet notari.

29.

Ingratus scelestissimus est.

Quidam nobilis, elegans, pudicus
Totum se mihi tradidit, nihilque,
Me totum ut sibi traderem, reliquit.
Post paucos facerem dies rogavit,
Ipse quod mihi forte denegassem:

Nec res, nec fieri salus sinebat.
Excussi loculosque, sacculumque,
Objeci caput omnibus periclis,
Fit voti penitus, citoque compos.
Hic vir nobilis, elegans, pudicus,
Qui, spondens maria, aureosque montes,
Se gratum, memoremque dictitabat,
Ut factum satis est (pudet referre)
Obliviscitur omnium, negatque
Dictam reddere, si videt, salutem.
Qui vos hendecasyllabi soletis
Quot mihi obveniunt referre casus,
Nulli hunc dicite: neminem scelestum,
Cum se cerneret esse nequiores,
Suorum scelerum satis puderet.
Nil mores magis, Ethicamque turbat.

30.

Litterarum neglectus.

Quas natum genitor doceret artes
Virum consuluit satis probatum.
Cum proponeret hic tuas, Minerva,
Ridet sollicitus senex, aitque:
Non cogam pater esurire natum.
Horum quem fatuum fuisse dices?

31.

Litteratorum inopia.

Sutor quinque sibi, faber triginta,
Caupo bis totidem, quater lanista,
Mercator deciesque, centiesque

Culti jugera comparavit agri.
Qui noctesque, diesque dat Minervae,
Rem postquam sibi vendidit relictam,
Habet, quod comedat, nihil, bibatque.
Haec sunt saecula vera litterarum!

32.

Docti, ac boni, fatui, ac scelesti.

Orator sitit, esurit poeta,
Et sophus simul esurit, sititque.
Graecatur fatuus, nitet scelestus,
Et pollent opibusque, viribusque.
Omnis fabula temporis, locique,
Haec est, haec fuit, haec erit futura.
Orator nitide loqui laborat,
Sectatur steriles poeta frondes,
Inquirit sophus, edocetque verum,
Adorat fatuus potentiores,
Rem quocumque modo facit scelestus.
Naturae statuunt, jubentque leges
Fructus seminibus suis parari.

33.

Qui omnia se scire jactitant, sunt pestis litterarum.

Nec mens, nec mihi defuit sciendi
Ardor perpetuus, librosque volvens
Lustra jam duo condidi, novemque.
Si quis denique quid sciam rogabit,
Nil cum Socrate cogerer fateri,
Ni nossem omnia scire jactitantes.
Hi sunt, quos scio, damno, judicoque

Premendos odio Vatiniano.
Insulsi, sapidi, leves, gravesque,
Mendaces, tumidique, garrulique,
Sunt pestis mera, pusque litterarum.

34.

Optimae caussae pessimus patronus.

Quae tu proemia postulas laborum,
Quamvis debita, non feres, Luperce:
Nescis tempora, temporumque leges.
Non vis conscius esse, displicetque
Uti fraudibus, artibusque pravis:
Caussae es pessimus optimae patronus.

35.

Virtus laudatur, et alget.

Virtutem sequeris, sapisque, Iuli:
Virtute est melius nihil, priusque;
At semper nihil esse ne graveris:
Sint mores tibi, lingua sit, fidesque,
Nulli es conscius, indicasque nullum,
Tristi traderis esuritioni.
Plus, qui plus cruce dignus est, meretur.

36.

Veritas odium parit.

Si veri species, quot esse possunt,
Collectas mea dextra contineret,
Claudendam mihi dexteram putarem:

Impune haud licet explicare verum.
Nomen Socratis audio libenter,
Sed bilem, ac stomachum ciere nolim
Melitis, Anytis, Lyconibusque.

37.

Ignorantia praecipua est malorum caussa.

Cum Crassi manus immineret hosti
Instructa, ut facile fugare posset,
Senex vendere visus est popello
Ficus: dicere *cauneas* solebat,
Auditusque *cave*, *ne eas* monere.
Miles credidit ominis sinistri
Hanc vocem, trepidusque, territusque
Ingentem ipse sibi necem paravit.
O stultas hominum, levesque mentes!
Dum falsam satagunt cavere Scyllam,
In veram miserae ruunt Charybdim.

38.

Miracula temporum.

Qui, verba ut duo jungeret, solebat
Meo uti calamo, meaque dextra,
Cum munus sibi forte comparasset,
Scriptor credidit esse tam disertus,
Ut vel me, et mea scripta judicaret.
Si miracula temporum sciebam,
Neglectis studiisque, litterisque,
Emendo mihi muneri vacassem:
Mente, et corpore fortius valerem.

39.

Puellae scyphis similes.

Qui dixit similes scyphis puellas,
Rem, me judice, rite cogitavit:
Esse in perpetuo solent periclo.

40.

Fabula vitae.

Valet, rem facit, et dies beatos
Agit pessimus omnium Malinus:
Cubat, diripitur, trahitque tristes
Horas optimus omnium Bonanus:
Videt Simplicius, stupet, doletque:
Ridet Perfidius, sibique plaudit.
Haec est, quae semel acta, jam reponi
Solet fabula singulis diebus.
Non paucos scio comicam putasse,
At dicunt tragicam magis diserti.
Si in scena jugulant bonos scelesti,
Dolens, et lacrimas ciens Thalia
Soccos exuit, induit cothurnos.

41.

Ratione uti, ac non uti periculosum est.

Vexatur probus, improbusque floret!
Haec est, quam repetunt boni querelam
Omnes, undique, singulis diebus,
Cum sol nascitur, et cadente sole.
Si sedes Deus occupat supernas,

Æquo si regit universa nutu,
Cur mundi bona praeda sunt malorum?
Qui in vita hos ait altera manere
Certum supplicium, secare nodum,
Non dissolvere Gordium videtur.
Si vel hic sua poena, praemiumque
Non claudo pede quemque consequatur,
Fortassis minus improbus, magisque
Auderet bonus, et magis saluti
Alter consuleret, caveret alter.
Haec, et talia saepe jactitavit,
Cui sola est ratio magistra vitae,
At fax est ratio satis dolosa:
Fallit, si nimis arceas, nimisque,
Fallit, si admoveas nimis, nimisque.

42.

Homo a mundi malis probatur.

Quae in mundo mala cernimus, movere
In rerum dominum solent querelas.
Nil est turpius, impudentiusque.
Ut aurum probat ignis, hic probare
Solent nos mala, quos manet probatos
Domus pulchrior, elegantiorque.
Quare, quod gravius malum videtur,
Majus, si sapimus, bonum putemus:
Nos purgat citius, viamque in aulam
Coelestem facit expeditiorem.
Qui *haud parcas mihi, sed seca, sed ure*
Praesul cum lacrimis Deum rogabat,
De mundi melius malis putavit,
Quam Crantor, Plato, porticusque tota.

43.

Ruina improbi nil prodest bono.

Debebat mihi qui patrocinari,
Caussam prodidit, et mei laboris
Fructus carpere passus est rapaces.
Turpe post scelus impudens patronus
Perculsus subita cadit ruina.
Dum tota calet hic in urbe rumor,
Et de funere pars ovat scelesti,
Pars, quod gratuler, accidisse dicit,
Quid me, quid juvat improbi ruina?
Vixisset sibi non malus, mihique.

44.

Non vivere, sed mori videmur.

Illos cum memini meos sodales,
Quos teterrima sustulit sororum,
Nigri scandere jam senis carinam,
Jam pigros videor secare fluctus.
Dum currunt rapidi dies, et anni
Praedantur tenuem, brevemque vitam:
Vix nati juvenes sumus, senesque,
Et turba veniente submovemur.
Heu! non vivere, sed mori videmur.

45.

Non est vita spernenda, sed mors non timenda.

Vitam spernere jactitas, putasque
Sic te philosophum merum probare.

Quantum deciperisque, fallerisque!
Vitam perditus, impiusque spernit,
Boni est vivere, nec timere mortem.

46.

A fabulis praecepta vitae hauriuntur.

Iunonis, Venerisque, Palladisque
Phryx litem Paris aestimasse fertur.
Secundum Venerem dedit, domumque
Graecam duxit adulteram, Dearum
Neglectis opibus potentiorum.
Dum raptor putat esse se beatum,
Instant Argolicae manus, facesque,
Ingenti cadit Ilium ruina,
Et turpes subeunt Phryges catenas,
Ferrum, flammaque si quibus pepercit.
Incauti mala quot sibi, suisque
Procurent juvenes libidinosi,
Una quam bene fabula monemur!
Quid dicas meliusque, fortiusque
Chrysippum monuisse, Crantoremque?

47.

Somniorum fallacia.

Lupercus populum sibi subesse
In somno videt: omen hinc futurae
Gloriae capit, incipitque rebus
Novis, qui sibi vixerat, studere.
Sed, dum spes animo leves volutat,
Et pennis petit astra destitutus,
Deprensus, cruce pendulusque ab alta

Spectantem populum subesse cernit.
Portendit bene somnium Luperci !

48.

In Largi tumulo.

Hoc Largi cineres tegit sepulchrum :
Nemo plus operae dedit Minervae ,
Nemo plus doluit dedisse frustra.
Nomen si excipias ,, σοφοςque inane,
Sola incommoda litterae dederunt.

49.

Idem.

Plus Largi lapis hic monet , viator ,
Quam vox ter docuit decem per annos.
Professor Sophiae, Matheseosque ,
Antiquae fidei , haud malus sodalis ,
Notus pluribus editis libellis,
Solam non tulit esuritionem ,
Solos non habet hic canes molestos.
Quod fructum scelus abstulit laborum ?
Vixit temporibus malis , malasque
Vitam ducere noluit per artes.

50.

Paullo de Aretio a secretis Institutionis publicae scrutinii.

Acri judicio exigente tristes
Cives ad trutinam severiorem ,

Dum quisquis tetricae vacat Minervae
Transactam satagit probare vitam ,
Areti , sceleris, notaeque purus
Nil conscit sibi , nil putat timendum.
At, quae bellua lividum canino
Rictu jactitat hinc , et hinc venenum ,
Securum videt , impetitque inermem.
Dum plaudunt sceleri mali , invidique ,
Dum boni trepidant , fremuntque cives ,
Areti , cape tela , belluamque
Trans ripas prohibe furentis Orci.
Te virtus tua , traditumque munus ,
Te ad bellum vocat hoc quies bonorum.
Uno qnot bona comparabis ictu!
Quot pelles mala ! quos feres triumphos!
Cum tandem, duce te, vetus redibit
Jactatis decus , otiumque musis ,
Has voces referet chorus sororum :
Si in rerum vicibus periculosis
Impune placidis frui diebus
Virtuti licet, innocentiaeque ,
Totum muneris est Aretiani.

*

HENDECASYLLABORUM

LIBER II.

1.

In obitu Ferdinandi I. Siciliarum Regis.

En qui jura plagis dedit Sicanis
Lustrorum spatio decem, triumque,
In somno occubuit silente nocte.
Qui ridet Stygios lacus, bonorum
Hoc regi putat accidisse summum:
Sensum quemlibet abstulit doloris.
Vitam qui timet alteram, malorum
Hoc censet prius esse, maximumque:
Opes Relligio suas negavit.
Lugent, qui hinc sibi damna pertimescunt,
Qui sperant bona, gestiunt, ovantque,
Et de Principe judicant severi,
Qui ad nutum modo Principis jacebant.
Uno in funere quot simul monemur!

2.

In obitu Pii VII.

Omnes dum lacrimis madent ocelli,
Lugete hendecasyllabi, sonisque

Vestris reddite publicum dolorem.
Summus Pontificum, optimus bonorum,
Cujus consilio carina Petri
Ventos aequore passa proeliantes
Fractis pulchrior enatavit undis;
Pius Septimus occidit, sororque
Iniquissima sustulisse gaudet.
Heu quantam scelus attulit ruinam!
Praesenti caret innocens patrono,
Pauper praesidio, parente natus,
Exemplo, ac duce, qui periculosis
In rerum vicibus minas superbi
Firmus spernere cogitur tyranni.
Lugete hendecasyllabi, sonisque
Vestris reddite publicum dolorem.
Omnes heu lacrimis madent ocelli!
Heu quantam scelus attulit ruinam!

3.

In obitu Aloysii de Medici.

Qui nostras tulit, abstulitque leges,
Hispanas faciens iter per oras,
Occurrit Lachesi procul minanti,
Et domo procul occidit, suisque.
Hoc de funere disputant per urbem
Cives undique. Pars ait ruinam
Hanc regni fore, pars ait salutem,
Pars illum sibi calculo doloso
Deceptum putat intulisse caedem.
Iter tam grave, tam periculosum
Natus debuit adgredi tot annos!
Qui insanis titulisque, honoribusque,
Plus casus tibi praebet hic veratri,
Quam tres Anticyras putem daturas.

4.

In obitu Dominici Cotunnii.

En Cotunnius occidit! quis audet
Parcam parcere posse suspicari?
Mortales citiusve, seriusve
Lethaeum semel est iter terendum.
Quid spes attinet inchoare longas?
Haec, et talia dum supina jactat,
Quae teterrima dicitur sororum,
En Cotunnius Atropon fefellit,
Vox circum resonat: quod est caducum,
Parcae tradidit, et rogo superstes
Æternum sibi nomen arrogavit.
Dum falcem rotat Atropos minacem,
Inquit Gloria: stulta nesciebas
Summos fata viros mori negare?
Qui quot quot medici fuere, quot sunt,
Et quot post aliis erunt in annis,
Longe doctior, innocentiorque,
Non urbis decus extitit, sed orbis,
Dum vivent quibus addidit libellis
Mansurum sibi, patriaeque nomen,
Quo pressit, premet Atropon flagello.

5.

In obitu catelli, cui nomen Marchesino.

O festivior omnibus catellis
Marchesine tenellule, et venuste,
Blando passere blandior Catulli,
Stellae nequior improba columba,
Quod te, quod rapuit repente fatum?

O qui saltibus hinc, et hinc facetis,
Dulci murmure, morsiunculisque,
Contractam domini severioris
Frontem scitulus unus explicabas,
Quae vis ad stygias te adegit undas?
Dum ludis, sequerisque provocantem
Te felem nimis acer, igneusque,
Cancellos superas, ruisque praeceps,
Et desiderium tui relinquis.
Quod te, quod rapuit repente fatum?
Quae vis ad stygias te adegit undas?
Quod solatiolum manebat unum,
Hoc sors improba sustulisse gaudet:
O sortis facinus libidinosae!

6.

In obitu turturis.

Turtur passere nequior Catulli,
Qui in rerum vicibus parum secundis
Solamen mihi saepe praebuisti:
Turtur, qui facili levis volatu
Manus insiliens, sinum, caputque
Dixisti mihi, cum domum redirem,
Blando murmure blandulam salutem,
Quae te vis mihi sustulit, tuisque?
Plorat in viduo relicta nido
Uxor maestula, pipilantque nati
Orbi praesidio potentiore.
Vulnus, quod dolet, hinc, et hinc fricatur.
Turtur passere nequior Catulli,
Nuper deliciae meae fuisti,
Nunc fons, et caput es mei doloris.
Nunquam tam timui gravem ruinam.

7.

Commissis muneribus fungi facile est.

Commissum tibi munus est, cupisque
Obire, ut placeas, nihilque pecces:
Nil factu facile est magis, Luperce.
Quos velles alios, is esse cura,
Obique, ut cuperes obisse functus.

8.

Amico post decem lustra ducenti uxorem.

Lustris denique quinque bis peractis
Uxorem tibi comparas puellam.
Suis te rapuit Cupido ludis?
An deterruit una solitudo?
Alter calculus, et fefellit alter:
Ludit cum pueris puer Cupido,
Solus plus eget, at minus gravatur.
Quid quod nos habitus movet, trahitque?
Soli vivere qui tibi solebas,
Tu fastidia, quae creabit uxor,
Tu curas sobolis feres futurae?
In quantam miser incides Charybdim!
Quot pyxis mala fabulosa fudit,
Mane, vespere, noctibus, diebus,
In te tot veluti ruent phalanges.
Heu taedet quoties, pigetque, dices!
At, sero sapiunt Phryges, memento.

9.

Vita non annis, sed usu computanda.

Cui motus nihil est, nihilque sensus,
Lapis saecula provocat superstes:
Quae motu vegetat vetusta quercus,
Annis denique cedit, interitque:
Quod sentit, video perire brutum
Plantis ocius, ociusque bruto
Abit vita hominis brevis, fugaxque,
Et tanto brevior, fugaciorque,
Quanto plus homo cogitat, sapitque.
Quod vivit, citiusque, seriusque,
Ut vita fruitur, perire lex est.
Annis desine computare vitam:
Vitae vivimus, et perimus usu.

10.

Titus Vespasianus.

Si quis delicias fuisse Titum
Humani generis neget, probabo.
Paucos novimus imperasse menses (*a*).

11.

Egenus gloriosus.

Cur, cum nil habeas, nihilque speres,
Meras divitias crepas supinus?

(*a*) Vel brevitas temporis vitia non ostendit, vel brevitate temporis Titi homines non taeduit, vel genus humanum eo diutius frui non meruit.

Tui me miseret, pigetque, Thraso:
Croeso ditior esse dum minaris,
Ipso pauperior probaris Iro.
Rem magni facis, indiges, pudetque.

12.

Hominum levitas.

Optatum facile tulisse taedet:
Pigeret, nisi forte contigisset.
Heu quam difficiles sumus, levesque!

13.

Thrasones gloriosi timidi esse solent.

Dum vultu, manibusque, vocibusque
Ingentes animosque, spiritusque
Thraso jactitat, alterum ut videres
Tuscas fundere Coelitem phalanges;
Occurrit canis, excutitque pellem,
Quod se laverat, hinc, et hinc madentem.
Ut qui fulmine tactus obstupescit,
Nescit fundere verba gloriosus.
Ridebant comites, silete, dixi,
Absurdi nihil excitat cachinnos:
Si Floralia damnat impudicus,
Et mendax crepat usque veritatem;
Thersiti liceat videri Achilles.

14.

Stoicidae mentiri solent.

Qui dicteria saepe jactitare,
Et se dicere Stoicum solebat,
Haesit Pollius, ut sibi, suisque
Malum non grave sensit imminere.
Heus tu, sume animos, amicus inquit,
Nunc salsum licet esse, Stoicumque.
Risit Pollius, addiditque. Non est,
Quod me discruciat, malum, sed aedes
Sortem nosse piget meas iniquam.
Salsum Pollius esse se probavit,
Sed nunquam puto Stoicum fuisse.

15.

Judicium Ciampitti, et Rinaldi.

Versus edere dum cupit latinos,
Poscit judicium meum poeta.
Nitebar dare qualecumque, quidquid:
Sed Ciampittius, inquit, et Rinaldus
Dignos auribus Atticis putarunt.
I, dixi, pete Tranium, obviamque
Famam amplectere, judicata lis est,
Nihil carminibus tuis putandum
Exquisitius, elegantiusque.
Favet judicium acrium virorum,
Quo, totas licet advoces Athenas,
Nil exactius invenire possis.

16.

Miser est, cui omnia displicent.

Laudandum nihil, et nihil probandum
Charini est oculis: malum, invidumque
Dicunt, sed miser est, miser, miserque.

17.

Superbus.

Dum te diligo, vis coli, Luperce:
Jam nec diligo, nec colo superbum.

18.

Per quae peccaverit homo, per haec et punietur.

Quis est, qui periit velut peremtus
Ictu fulmineo, sibique vidit,
Quae sacra auxilium ferunt, negata?
Cur funus miseri solutiores
Turbarunt pluviaeque, turbinesque?
In unum caput irruisse dices
Quot coelum jacit hinc, et hinc sagittas.
Ne te decipias, inique, curto
Si interdum pede poena claudicabit:
Cum reris minus, opprimet fugacem.
En sacris opibus caret scelestus,
Qui dextra Auctolyci rapaciore,
Ut venalia, sacra venditavit.
Qua peccaveris arte, punieris.

19.

Novus Thraso.

Dum bellum patriae minatur hostis,
Casurum manibus suis Philenus
Jurat, vincere, vel mori paratus.
Is, hostem simul ac movere sensit,
Tristes edere coepit ejulatus,
Incedensque gradu laborioso
Nodosam catus adprobat podagram.
O mirum ingenium novi Thrasonis!

20.

Habenti quod satis est nihil sperandum, vel timendum.

Quem totis mihi sarcinis paravi,
Fundus aëre nec nitet sereno,
Nec spectabilis est feracitate;
Sed rerum in vicibus periculosis
Unus dat placida frui quiete.
Reddit, quod satis est, satisque habenti
Sperandum nihil est, nihil timendum.

21.

In malis irriti sunt questus.

Quod nulli mala te premant ferenda,
Justos esse putas, Avite, questus.
Nihil stultius est, ineptiusque.
Questus sunt animi minutioris,
Qui, dum verberat aërem querelis,

Arceret mala forte, pelleretque,
Si pro viribus usque niteretur.
Quid quod, quae mala sustinenda non sunt,
Jam sunt proxima finibus bonorum?

22.

Simplicius, *et Chloe.*

Fugit Simplicius Chloen, cupitque:
Tacentem fugit, et cupit canentem.
Audit Simplicius, videtque acutum (*a*).

23.

Honores mutant mores.

Audivi veterem meum sodalem
Factum e rhetore consulem repente (*b*):
Cum solatia saepe praebuissem
In discriminibus, periculisque,
Re laeta placet ire gratulatum.
Post longas recipit moras hiantem,
Ut nomen revocet meum, laborat,
Paucis, si quid opus, jubet rogare.
Cum bilem, stomachumque continere
Non possem, valeas, amice, dixi:
Sperabam tibi posse gratulari,
De amisso cerebro piget dolendum.

(*a*) Audit dulce canentem, videt deformem.
(*b*) *Si fortuna volet, fies de rhetore consul,*
Si volet haec eadem, fies de consule rhetor.
Iuven. Sat.

24.

Cartesius.

Luscam Cartesius semel quod arsit,
Luscas prae reliquis amasse fertur.
Quanta est vis habitus! prior sagitta
Quanto vulnere saucios fatigat!

25.

Os Appii.

Appi, quem edere cogitas libellum
Irato genitum choro sororum,
Poscis pumicibus meis poliri.
Post noctes vigiles, caputque scalptum,
Post ungues iterum, semelque rosos,
Me fastidia lectuli calentis
Tenent, te titulus beat poetae.
Quod fructus capias mei laboris,
Novi mel aliis apes parare:
Quod nullas referas, agasve grates,
Ingratos scio defuisse nunquam:
Quod ne unum dederis quidem libelli
Exemplar, piget hoc, sed est ferendum.
At quod, si decies die vel uno
Occurris, decies subinde dicas
Quem misi, invenies domi libellum,
Et nunquam invenio domum reversus,
Post septem, ut puto, vel novem Kalendas;
Vis dicam tibi veriora veris?
Appi nomen, et os habere gaudes.

26.

Gloria virtutibus, non titulis comparatur.

Nuper me ex cathedra docente claris
Ductum nomen avis, imaginesque
Fumosas nihil esse, gloriamque
Virtutes homini parare solas;
Accessit bene cultus, affluensque
Vestitu juvenis stipem rogatum.
Mirabar: videt ille, nobilique
Quid natus faciat parente, dixit,
Cui fortuna suum negat favorem? =
Discat vivere parcius, laboret =
Nunquam nobile nomen inquinari
Majorum patiar = Tuas nec unquam
Pascam stultitias, superbiasque.
Discessit juvenis mei misertus,
Risum non tenuit frequens corona,
Sit, dixi, satis, hoc erat probandum.

27.

Mors non est malorum maximum.

Iuli, vive diu: quis improbabit
Vivendi studium? sed esse mortem
Noli credere maximum malorum.
Mors est sollicitis reis levamen,
Maturat placidam boni quietem,
Ponit criminibus modum scelesti.
At mortalibus omnibus paludes
Claudantur stygiae: brevi negabit
Tellus pabula singulis, locumque.
Quid quod, dum studet improbus parare

Extento bona quae fruatur aevo,
Omnes improbitas fugit catenas? (*a*)
Iuli, vive diu, sed esse mortem
Noli credere maximum malorum.

28.

Vita senis inopis miserrima.

Cum sit vita hominis laboriosa,
Est quo quisque suum levet laborem.
Malorum puer inscius laborat,
Distractus juvenis, vir occupatus,
Senex nomine, nummulisque partis.
Quid, si nil vir agat, senexque nec rem,
Nec nomen sibi rite comparavit?
Ætas cum magis indiget, doletque,
Nil est, quod minuat, levetve curas.
Vultur dum Tytii jecur remordet,
Praesentis miseretque, poenitetque,
Pudet praeteriti, piget futuri.
O vitam horribilem, atque pestilentem!

29.

Natura usque recurrit.

Solam, sollicitam, nihilque habentem
Duxit Phyllida Priscus: hanc putavit
Ingratam minus, et minus procacem.
Quam nobis male saepe providemus!
Ingratissima foemina, ut levari

(*a*) Si pro bonis brevi relinquendis homines fiunt improbi, pro duraturis nullus esset improbitati modus.

Coepit, praeteriti immemor, suique,
Facta est garrula, nobilis, superba,
Procax, magnifica, atque sumtuosa:
Quisque ad ingenium solet redire.

30.

Democritus.

Ne Democritus igneas videret,
Quas jactant oculis faces puellae,
Pupillas sibi contudisse fertur.
Hic risor male salsus excitavit,
Quos, me judice, debuit cachinnos.
Qui vinci metuens fugit periclum,
Et pugnam fugit, et fugit coronam.

31.

Homo moribus, non ortu commendatur.

Occurrit mihi nuper in corona
Frequenti juvenum elegantiorum
Quidam cultior, elegantiorque.
Blandus lumine, fronte liberalis,
Castus moribus, integer pudore
Graves res catus explicabat unus.
Cum multumque, diuque subnotassem,
Nemo est hoc potior, priorque, dixi.
Risit, qui mihi proximus sedebat,
Vilique a patre murmuravit ortum.
Clarum, tunc ego, si genus fuisset,
Laudarem minus, et minus probarem.

32.

Calumnia.

Cum lex Attica foeminis negasset
Partus excipere ; est in urbe rumor
Non levis. Doluere , quas pudebat
Uti , cum parerent, viris , fuitque
Confidentior una , quae obstetricem
Vestem se obtulit induens virilem.
Commentum placet , obstetrix vocatur ,
Rem pulchre facit , invident maligni ,
In jus foemina rapta judicatur
Uxorum velut omnium maritus.
Nodos ut simul explicaret omnes ,
Fictis vestibus obstetrix relictis
Fefellit tabulasque, judicesque.
Totam fabula dum strepit per urbem ,
Et bilem movet , et movet cachinnos ,
Quæ Calumnia fracta jam cadebat ,
Sectis crescere cornibus videtur.
O monstrum horribile , atque fraudulentum !

33.

Nemo sine periculo provocat.

Augustus videt hospitem , sibique
Miratus similem velut gemellum ,
Dic , inquit , mihi , dic in urbe mater
Audisti , an fuerit ? Fuisse patrem
Hospes protinus audiisse dixit.
Telum nescio scitius retortum :
Nemo est , qui sine provocat periclo.

34.

Mea vota.

Non me sollicitant opes, nec opto
Imperare aliis: valete, abite
Coetus, balnea, porticus, theatra,
Coenae, prandia, quaeque cogitare
Solent gaudia delicatiores:
His possum facile bonis carere.
Si mictu facili fruor (*a*), meosque,
Quos bis, et quater edidi libellos,
Ultima licet expolire lima,
Vitam vivere contigit beatam.

35.

Vitae incommoda sunt salubria.

Ob incommoda te dolere vitae
Audivi deciesque, centiesque;
At non sunt mala, quae putas, Phidippe.
Vitam si fragilem monent, brevemque,
Mortali nihil est magis salubre.

36.

Statera.

Librarum est mihi quindecim statera:
Licet ferrea, nec satis polita,
Nil est, quod cupiam magis, petamque:

(*a*) Cum pluribus abhinc annis difficilis mictus mihi sit, laetior dies est, qua acri morbo minus afflictor.

Unum est mnemosynon mihi meorum,
Una est, quae ad trutinam vocans coemta
Servos esse domi vetat dolosos.
Quid est, quod cupiam magis, petamque?

57.

Statera, et modulus.

Stateram, et modulum mihi reliquit
Decedens pater, addiditque normis
Istis utere singulis diebus:
Mensurae tibi, ponderisque fines
Qui sint sic monitus, nihil parabis,
Aut dices temere, tuique nunquam
Te te judice forte poenitebit.
Accepi ut sacra, nilque consulendum
Statera, et modulo magis putavi.
Heres ditior, elegantiorque,
Opes desine jactitare stultas:
Croesi non puto post habenda gazis
Stateram, et modulum mei parentis.

38.

Maximum scelus.

Nil parsi studiisque, sumtibusque,
Ut fundum colerem meum: paravi,
Jeci semina, prodiere plantae,
Quae sudoribus affatim rigatae
Suos tempore protulere fructus.
Dum carptum propero, meos labores
Qui non credidit esse perferendos,
Pallet, rumpitur, obstat, eripitque

Centum fraudibus, artibusque centum.
Si leges scelus hoc vident, silentque,
Quod tandem cruce, fustibusque plectent?

39.

Voces impiorum stultae, ac scelestae.

Fertur velle homines Deus beatos:
Nil est, quod magis audiam libenter,
Jam ter, jam videor quater beatus:
Potest omnia, qui potest creare.
At passus nihil est, patique nescit:
Nil est, quod minus audiam libenter,
Jam ter, jam videor miser, quaterque:
Opem non feret inscius malorum.
Haec, et talia Luscio querenti,
Quid, stultissime, Lucius, quid inquit
Spem claudis tibi quamlibet salutis?
Nihil stultius est, scelestiusque.

40.

Stultus, et miser est, qui omnia improbat.

Nemo difficili placet Luperco:
Stringit quemlibet, acriterque rodit.
Est, te judice, pessimus malorum,
Me, stultissimus est, miserrimusque.
Quae vitae huic fluet hora non molesta? (*a*)
Quis hac a scabie tenebit ungues? (*b*)

(*a*) Si quisque displicet, quisque molestiam creat.
(*b*) Si quisque stringitur, quisque eum stringet.

41.

Inops, qui nihil dat benigno, est liberalis.

Natalis Domini appetente festo,
Totam munera dum volant per urbem,
Quod mittam tibi nulla, ne graveris,
Nec me parcere dixeris crumenae.
Quid Crasso addiderit Macer poeta?
Inops, qui dare non studet benigno,
Satis creditur esse liberalis.

42.

Senem carere commodis miserrimum est.

Cum sit vita hominis labor, dolorque,
Ætas quaelibet invenit levamen.
Lascivit puer inscius malorum,
Huc illuc juvenem rapit Cupido,
Vir famae studet, et studet crumenae,
Senex nomine, commodisque gaudet.
Quid si, cum nive sparserit capillos
Ætas tardior, indigentiorque,
Vel audis male, vel nihil parasti?
Vel torquebere singulis diebus,
Vel suspendia sola cogitabis.

43.

Sortis libido.

Nix ignem mihi dat, nivem dat ignis,
Et nil est, mea vota quod secundet.
Ohe jam satis est, satis voluntas

Vim passa est mea : denique o puderet
Ludum ludere, sors, libidinosum.
Cur nudae volitant rates, meamque
Remi, velaque retrahunt carinam ?

44.

Fascinus.

Dum scitum tibi, blandulumque natum
Uxor parturit, hinc, et hinc procellas
Coelum nubibus horridum minatur.
Partu difficili laborat uxor,
Vix lucem videt, interitque natus,
Tu vir sollicitus, paterque tristis
Vultu dissimulas, premisque corde
Vulnus, quod geminum facit dolorem.
O casum horribilem, atque luctuosum !
Incertam ut tibi mollias senectam,
Certam sollicitas virilitatem.
Quantam fascinus attulit ruinam !

45.

Certa esuritio.

Emis, Gargile, protinusque vendis,
Emturus cito, moxque venditurus.
Est ingens vitium, sed est caducum.
In certam ruis esuritionem :
Ali desinet, et statim peribit (*a*).

(*a*) Vitium emendi, et vendendi caducum, peribit simul ac esuriens nec emere poteris, nec vendere.

46.

Inops mortis timidus sibi conscit.

Æquo mors pede pauperum tabernas,
Pulsat pallida, regiasque turres.
Sexti, quid quereris, velutque solus
Te morti, et tua debeas, gravaris?
Cum nihil tibi sit, nihilque speres,
Quod vivas nihil est, timesque mortem!
In te nil gravius potest notari.
Qui nec commoda comparare vitae,
Nec mortis didicit metum fugare,
Est ingens nebulo, sibique conscit.

47.

Mundi bona sceleribus comparari solent.

Dum nil nequius improbo Libone
Contendit Simus esse, vel fuisse;
Ne credas fatuum Philenus inquit:
Hic et rem facere, et cupit valere.
Scit mundi bona quomodo parentur.

48.

Deus.

Te rector Deus omnium, paterque,
Adhuc te mihi rite quaeritanti
Nil est, quod patuit magis, minusque.
Novi, et nescio. Cuncta si creasti,
Nil est te prius; at quid es, nec ipse
Ausim dicere, quilibet nec ausit.

Pars non est potis explicare totum.
Pupilla ad radios stupet micantes.

49.

Pauper iners miserrimus est.

Non est res tibi parta, nec relicta,
Polles ingenioque, viribusque,
Et anguem veluti fugis laborem.
De te quam male, Gargili, mereris!
Instat maximus omnium laborum,
Spretus publicus, esuritioque.

50.

Nescit vivere, qui nescit valere.

Quid sit vivere nosse jam putabam,
Nil novi, video, minus, pigetque.
Dum libris studeo magis, magisque,
Saluti studeo minus, minusque.
Hinc incommoda crebra suscitantur,
Quae vitam faciunt laboriosam:
Nescit vivere, qui valere nescit.

51.

Habitus.

Post coenam lego, prandiumque libros:
Nil est, quod magis officit saluti:
Cibus non coquitur, fovetque arenas,
Mictum difficilem, vagasque febres,
Et quae me mala singulis diebus

Morosum, querulum, gravemque reddunt.
Iam libros, ais, abdicas, fugisque?
Quanta est vis habitus semel recepti!
Post coenam lego, prandiumque libros.

52.

Quibus assuevimus, aegre abstinemus.

Dum noctes studeo, diesque libris,
Et sensim videor minus valere,
Libros ut fugiam, monet Galenus.
Morem denique censui gerendum,
Et libros procul exulare jussi.
Quid hoc fecerit otium requiris?
Ægre vivere non, ut ante, taedet,
Prorsus vivere poenitet, pigetque.

53.

Species sine cerebro.

Amicus mihi qui fuit tot annos,
Me externum velut adspicit, negatque
Dictam reddere rusticus salutem.
Auctus jam titulis, honoribusque
Obliviscitur omnium, suique.
Haec est, quae species caret cerebro.
Magnum se putat, et probat pusillum.

54.

Uxor.

Uxorem Cato duxit invenustam,
Scitam Candidus, elegantulamque,

Nullam ducere maluit Sabinus.
Quid de conjuge quisque cogitaret
Ausus quaerere, singulos rogavi.
Respondet Cato : forma conjugalis
Facit sollicitum virum venusta.
Ait Candidus: invenusta conjux
Brevi taedia provocat mariti.
Est conjux mulier , Sabinus inquit :
Ergo, qui sapit, ut canem cavebit.
Has de conjuge cogitationes
Non est, qui valet aestimare , caelebs ,
At salsus mihi visus est Sabinus:

55.

Homo novus.

Famosus vitiis, avis superbus
Objurgans hominem novum vocavit,
Qui se Tullius omnibus probarat
Doctrina , eloquio, eruditione.
Ridet , meque tui piget , reponit
Disertissimus omnium patronus:
A me nam decus incipit meorum ,
In te gloria desinit tuorum.

56.

Summus vir injuriis non laeditur.

Tulli, dum tibi nemo comparatur
Mentis viribus , inclytisque gestis :
Dum , quae munera sponte te sequuntur ,
Discedunt domibus potentiorum :
Dum tu plura domi facis togatus ,

Quam centum auspiciis duces secundis ;
Te contemnere , te putare parvi
Audet , qui sine mente , moribusque
Majorum titulis superbit unis ?
Sic incendere Tullium studebant ,
Qui adstabant , homo dum novus vocatur.
Risit Tullius , et puderet , inquit,
Irasci puero nimis diserto.

57.

Regem aegrotare pudet , decet perire.

Morti proximus , ut suae saluti
Curis omnibus abstinens caveret
Rex olim monitus ; cavebo dixit
Saluti populi , meaeque : regem
Ægrotare pudet , decet perire.
Nil dictum graviusque , pulchriusque.
Magni sciscitor , optimique regis
Nomen , tempora , patriam , parentes ;
O duri scelus , invidique fati !
Nigris omnia compulit sub undis.

58.

Medici , et pharmaca.

Me urunt febriculae frequentiores :
Quot sunt , consului catus Galenos ,
Quot sunt pharmaca credulus recepi.
Qui credis medicisque , pharmacisque ,
In me quid valeant potes videre :
Me urunt febricalae frequentiores.

59.

Pessimus est, qui omnes malos putat.

Omnes esse malos ait, bonumque
Sic se Turpilius putat probare.
Sic est pessimus omnium malorum.

60.

Turpe est patrocinium impudentium.

Quem fructum mihi sedulus, catusque
Totius peperi labore vitae,
Turba intercipit impudens, procaxque.
Sit grave hoc licet, est tamen ferendum.
Homo sic solet esse comparatus:
Optat, quod placet, et petit libenter,
Et parvi deceat, secusve, pendit.
Sed cur, quod grave credo, nec ferendum,
Cur turba haec faciles habet patronos?
Nil est turpius, impudentiusque.

61.

Bene parta.

Quod fraudans genium, quod unciatim,
Quod aegre a studiis meis coegi,
Non prodest mihi, nec meis, abitque
Ut nix ad calidum liquescit ignem.
Cur labi bene parta sic videntur?

62.

In amici nuptiis.

Franciscum pete musa, cui venusta
Martini e ducibus puella nubit.
Dum nuptam comitantur, ambiuntque.
Risus undique, gratiae, jocique,
I, nec te pavidus pudor moretur.
Qui semper coluit, colitque musas,
Vultu te excipiet benigniore
Amici memor, et memor sodalis.
Primum nomine dic meo salutem,
Mox dic me sibi jure gratulari,
Dic tandem mea vota postulare,
Ut cum conjuge, liberisque centum
Ter vivat Pyliam, quaterque vitam.

63.

Mala renovata.

Quae me febriculae frequentiores
Torrebant, abiisse gratulabar:
En rursus redeunt: abisse nollem.
Ob longum mala molliuntur usum,
Conturbant renovata, pristinoque
Irritant animum, novoque sensu.

64.

Servus improbus.

Occurri famulo mei sodalis
Ausi ducere jam senis puellam.

Cum laetum satis, ac satis viderem,
Quid caussae est? rogo: non moratus ille:
Me laetum facit unctior culina,
Quae munuscula nunc Hymen coegit,
Et quae munera mox dabit Cupido.
Isthaec munera quae forent rogavi:
Subrisit male salsus, addiditque:
Poscit nupta viro seni puella,
Qui fastidia, nauseamque pellat:
Servus conscius hinc capit, feraces
Fundi reddere quod negant trecenti.
Cum jam bile mihi jecur tumeret,
Quid si verbera, compedes, venena
Conatus jugulent inauspicatos?
Vel haec munera consciis ministris
Largiri solet improbus Cupido.

65.

Cimicum detestatio.

Joseph, pernicies nocentiorum
Huc adsis, scelus huc veni expiatum.
Adsint carnifices, hirudinesque
Scribarum genus impium, et scelestum.
Corpus, ut super igne pix liquescens,
Flagrat undique: cimicum phalanges
Me stringunt, stimulant, premunt, trucidant,
Me, qui, jam Sophiae severiore
Vultu deposito, remotus urbe
Ruri vivere credidi beatus.
An tu, qui insequeris foris nocentes,
Sines esse domi nocentiores?
Hac adsis, scelus huc veni expiatum,
Adsint carnifices, hirudinesque
Scribarum genus impium, et scelestum.

66.

Parentalia.

Parentalia mortuis aguntur :
Ingens machina funebri apparatu
In templo struitur tenebricoso ,
Plures undique fumigant lucernae ,
Prostant mille cadaverum ruinae ,
Res ingratae oculisque , naribusque.
Concurrit populus frequens : videres
In templo maris aestuare fluctus.
Huc me confero rite mortuorum
Facturus sacra sordibus piandis ;
Sed , dum me premit hic , moratur ille ,
Caligant oculi , pedesque corpus
Ægrum ferre negant. Opem tulisset
Ni coeli cito purioris haustus ,
Conviva his epulis eram futurus ,
Quas apponere credidi minister.

67.

Mors aegrae vitae levamen.

Fractus pluribus , acribusque morbis
Mortem denique desii timere.
Quid mortem timeam ? caput laborum
Si vita est mihi , mors erit levamen.

68.

Jussa medicorum.

Jampridem sitio, fluitque potus ,
Jampridem esurio , cibusque praesto est ,

Et nihil comedo, nihilque poto.
Ne potem, comedamve vult Galenus.
Morem quis medico putet gerendum?
Ut vivam, medicus jubet perire.

69.

Publica indignatio.

Totis qui mihi viribus favere
Amicus, sociusque debuisset,
Centum fraudibus, ut noceret, usus,
Re gesta ut bene, saepe gloriatur.
Ejus me miseret, piget, pudetque.
Dum plaudit sibi stultus, impudensque,
Auget, quam ciet, execrationem,
Et in, quam parat, incidit charybdim.
Quis hunc non veluti canem cavebit?
In hunc quis pede non ruet colubrum?

EPIGRAMMATUM

LIBER. I.

1.

Regina martyrum.

In cruce dum Jesus laeso cadit hostia patri,
Solque negat radios promere, terra movet;
Ante crucem Virgo, ut scopulus stat firmus ad undas,
Et nati poenas corde, oculisque bibit.
Corque, oculique aliis praestant si in corpore membris,
Parque dolor membro, quod dolet, esse solet;
Virginis ingentes vel ab hoc metire dolores,
Martyrii palmam qui retulisse negas.
At Virgo haud periit: modus est in morte dolorum:
Ille dolet gravius, qui sine fine dolet.

2.

In Commentarios Canonici Nicolai Ciampitti.

Cum lego, Ciampitti, quae summus in arte recenses,
Ut vivant nostri saecula longa viri;
Me doctrina movet, dicendi copia, et usus;
Sed rapior cordis nobilitate tui.
Tam vivos hominum vultus, moresque coloras,
Reddere ut officium par tibi nemo queat.

Tu tamen absolvis tanta tua saecula labe :
    Qualis es , in scriptis te facis ipse tuis.

3.

In obitu Dominici Cotunnii.

Contendit , lapidesque movet Cotunnius omnes ,
    Ut medica humanum sublevet arte genus ,
Et catus aegrotos dum faucibus eripit Orci ,
    Longaevus Pylios computat ipse dies.
Denique cum justum peteret natura tributum ,
    Et posset sanctus forte negare senex ;
Solvere amat , phoenixque velut post fata resurgit ,
    Invidia domita , major ab exequiis.

4.

Pater in obitu natae.

Nata, peris , mihi facta dolor , sperata voluptas!
    Irrita sic tua mors , et mea vota facit.
Saeva virum rapuit tibi , te mihi , quosque nepotes
    Sperabam senii gaudia sola mei.
O vanas hominum curas , et inania rerum !
    O vitae ratio tam dubia , et misera !
En tumulum pro dote pater tibi comparo : luctum
    Pollicita heredes en mihi , nata , paras.

5.

Pater in obitu nati.

Nate , dedi cunas , tumulum mihi ut ipse parares :
    Natura hanc legem provida constituit.

At tu, nate, peris, tu deseris ecce parentem,
Quem sine te vitae taedet, et interitus.
Quis feret auxilium, gravior si accesserit aetas?
Cum tandem solvar, nuda quis ossa leget?
Si natura hominum vitas tibi destinat omnes,
Mors tolle, at saltem qua tibi lege licet.

6.

In obitu Leonardi Ciampi patris carissimi.

Lustra decem morbi Leonardus vixerat expers:
Id sano, ac valido caussa perire fuit.
Cum primum calidi sensit fastidia lecti,
Vis omnis fracta est corporis, atque animi.
Quam facile expertus potuisset vincere febrim,
Vincere non potuit nescius ante pati.
Si morbis morbi, Pelidis ut hasta, medentur;
Nec mala cuncta nocent, nec bona cuncta juvant.

7.

In obitu Leonardi Ciampi patris carissimi, qui post primum morbum nusquam convaluit, et miserrimam deinde vitam duxit.

Vivere desieras, heu! jam nunc occidis, eheu!
Digne pater fato candidiore frui.
Qui validus, qui laetus eras, patiensque laborum,
Cum primum aegrotas, lentus, inersque jaces,
Et sceleris purus pateris tot iniqua tot annos,
Quot nulli pravo contigit ante pati.
Si sua virtuti est merces, te laetor ademto:
Vivere desieras, desinis ecce mori.

8.

Saecula ruunt in pejus.

Quintus amat puerum : morientem cernere Gallum
In coena cupit hic, ille necare jubet.
Non tulit hanc speciem Censor, movitque senatu
Laxantem pravis froena cupidinibus.
Ad populum appellat Quintus: jura, inquit, abique,
Censor : ne juret, stigmate inustus abit.
Nunc audet jurare bonus, malus horruit olim :
Quis ruere in pejus saecula nostra neget?

9.

Vis affectuum.

Bis duo sunt quatuor: nemo est, quem fallere possit,
Attamen inveniam, qui neget, aut dubitet.
Ferveat affectus, dubitare, negareve prosit,
Praesto est, qui menti vim facit ipse suae.
Certa animum mens lege trahit, trahiturque vicissim,
Et subeunt pariles mens, animusque vices.

10.

Miser succurrere discit.

Cur, qui non possunt, miseris succurrere vellent,
Nolunt, qui possent? saepe rogare soles.
Qui nescit miseranda pati, succurrere nescit,
Discit, qui miser est, vel miser esse potest.

11.

Securus non est, qui temporibus malis bonus esse audet.

Dum scissae partes studia in contraria currunt,
Et subeunt varias, corde micante, vices;
Undique peccatur scelere, atque libidine, et ira,
Undique peccatur seditione, dolis.
Vir bonus interea procul hinc removetur, et illinc,
Et, quia non didicit conscius esse, jacet.
At jaceat: sed cur parti est invisus utrique?
Audet temporibus vir bonus esse malis (*a*).

12.

Dives, et pauper.

Ingenium pauper, nummos in fœnore dives
Ponit, et hinc fructum captat uterque suum.
Ingenii fructum faciunt sapientia, honores,
Fructus nummorum est copia major opum.
Cur igitur sortem laudandam pauperis ajunt,
Divitis optandam? desidiosus homo est.
Dives habet, totas licet horas ducat inertes:
Ni trahat insomnes pauper, inanis eget.

13.

Pelgas, et Le-Roy.

Corporis humani, quam Pelgas viderat unam
Morborum caussam, qua fuget arte videt.

(*a*) Qui temporibus malis bonus est, malorum odium sibi conciliat. Martialis *Epigr. lib.* 5. de Nerva ait.
Temporibusque malis ausus es esse bonus.

Corrupti humores gignunt genus omne malorum :
    His rite egestis, jam sine fraude vales.
Inventum soceri scribit, factisque Le-Roy
    Undique collectis usque, superque probat.
Dum medici scindunt generum, socerumque, perenni
    Æternat claros nomine fama viros.
Invenit, et genero inventum communicat alter,
    Alter, quae sua sunt, publica dona facit.

14.

Nobilis, et agricola.

Objicit agricolae vilem dum nobilis ortum,
    Ostentat generis semina avita sui.
Agricola, est igitur tuus ortus vilior, inquit :
    Non nova degenerant semina, avita solent.

15.

Causidicus, et medicus.

Inter causidicum, medicumque acerrima lis est,
    Quis prior incedat, dum sacra pompa fluit.
Philosophi arbitrium sic litem denique solvit :
    Me fur praecedit judice carnificem.

16.

Nil cavet, qui semper cavet.

Dum sua producit, productaque cornua jungit
    Cynthia, me febris bisve, semelve petit.
Ne experiar toties calidi fastidia lecti,
    Praecaveo noctes, praecaveoque dies.

Non tam febre peti, quam displicet usque cavere :
Nil cavet, et miser est, qui sine fine cavet.

17.

Ditior esuriens.

Multa soli sterilis dum jugera possidet Irus,
Hinc sibi, quod satis est, dives, inopsque capit.
Vesvius et cineres, et crassas ructat arenas,
Fitque ferax, siccum quod fuit ante, solum.
Inchoat ingentes spes Irus, et ordine vites
Dum serit, et nummos foenore sumit, eget.
Nempe hodie, ut fiat cras ditior, esurit Irus :
Iro nil poterat tristius accidere.

18.

Non donat Rex aequus.

Persa olim dives, quo non generosior alter,
Undique magnificus, munificusque fuit.
Obtigit huic regnum, nec largus vixit, ut ante,
Splendida nec cuiquam munera, ut ante, dedit,
Mirantique inquit : domino donare licebat,
Quod donare queat, rex nihil aequus habet.

19.

Stultus Elisabethae Miloniae admirator.

Dum, jam detectis Milonia fraudibus, urbis
Fabula totius jure frementis erat ;
Credulus hanc sacrum signum super alta tenentem
Incurabilium tecta videre putat,

Et famulo, egreditur jam denique, suspice, dixit,
Adspice quam celeri fertur ad astra gradu. (*a*)
Nil, inquit, video, famulus, dominusque: tenebras
Has oculis faciunt mens, animusque malus.
Prava superstitio, nisi credas stultus, et excors
Absona, quae obtrudit, clamat id esse scelus.

20.

Julia de Marchis. (*b*)

Julia de Marchis spargens miracula, ludum
Nequitiæ instituit, luxuriæque novum.
Humanos actus dum quoslibet edere posse
Præcipuo dono seque, suosque docet;
Vir, mulierque frequens una copulantur in æde,
Et Veneri indulgent corpore, mente Deo.
Quotque, quibusve modis crescit lascivia! secto
Corpore in Alcidem creverat hydra minus.

21.

Dom.ª Fontaine, et Dom.ª Subleria.

Subleriae in vultu maculam Fontana notavit,
Annos quam non bis viderat ante decem.
Quam cernis maculam, parva est, ait illa, vetusque,
Plus jam, cum nosti, cernis, amasque minus.

(*a*) Cum Milonia in *Incurabilium* Nosocomio detineretur, ejus admiratores brevi eam egredientem e vinculis visuros jactitabant.

(*b*) Julia de Marchis puella iniquissima, cum improbo Fratre Confessario foedere inito, quae ille confessionibus excipiebat, eique detegebat, divinare jactitans sanctitatis nomen sibi conciliavit. Hoc nomine fucum parum cautis facile fecit, docuitque sibi, suisque praecipuo dono humanos quoslibet actus licere, modo, dum Veneri corpore, Deo mente indulgerent. Hinc ejus domus foedissimus nequitiae ludus factus est. Deprehensa tandem, quas meruit, poenas luere visa est.

Tristis in alterius vultu haesit uterque, sibique
Erubuisse suas sensit uterque genas.

22.

Pars, et totum

Indixit bellum pars toti: viribus instat
Totum, pars centum fraudibus, atque dolis.
Interea trepidas agitat victoria pennas,
Et, quo se vertat denique, quisque timet.
At, si vi fieri monet omnia sensus, et usus,
Vis est majori subjicienda minor.

23.

Vivendum inter bonos bonis temporibus.

Audivi cohibere animum, scelerisque carere
Gignere securos, et fine nube dies.
Credidi, et affectus studui, moresque domare,
Sed vixi, ut tumidis concita puppis aquis.
Temporibus bonus esse malis impune quis audet?
Secura est numquam, quae coit agna lupo.
Ut vivas sine nube dies, bene vive, sed idem
Vive bonos inter, temporibusque bonis.

24.

Fallacia somniorum

Patre cadente, mihi noctu dens excidit unus,
Excidit atque unus, matre cadente, mihi.
Dens cecidit porro, quovis pereunte meorum,
Densque cadens monuit funus adesse domi.

Dente cadente ajunt mortem properare parentum,
Accipit a casu fabula saepe fidem.
Nocte mihi hesterna dens nullus mansit in ore:
Tota domus rueret, spes erat, illa manet.

25.

Nemo securus laedit

Augusto similis prorsus venit advena Romam,
Hunc videt Augustus, seque videre putat,
Et rogat, an mater fuerit Romae: advena nunquam,
Inquit, at audivi saepe fuisse patrem.
Laedere securo nulli licet: adspice in audax
Expectata minus tela retorta caput.

26.

Proprio labore parta gratiora sunt

Sexte, tibi ingenium lustris vix quinque peractis
Largitur summis praemia digna viris.
Dum jactant stulti, quae munera gratia praebet,
Tu fruere ingenii parta labore tui.
Si gaudet, flores qui carpit, gestiet ille,
Qui carpit, propria quos serit ipse manu.

27.

Certare cum praestantiore stultitia est

Ludere carminibus tecum mea musa volebat;
Increpui, et siluit, consuluitque sibi.
Quos equus eduxit pede, tu bibis impiger undas,
Libo ego, cui sacrum non patet usque nemus.

Sunt tibi secessus, atque otia grata poetis,
Vis me solliciti jactat in urbe maris.
Pugnare, ut vincas, virtus patiturque, jubetque,
Pugnare, ut nequeas vincere, stultitia est.

28.

In obitu Mariae Salzaniae matris carissimae.

O mea tot morbis mater vexata tot annos,
Ut tibi cura gravis vita, mihique foret,
Occidis, heu! nulla medicabilis arte, meique
Dimidium linquis, dimidiumque rapis.
Te queror orbatus, sed cum tibi certa laborum
Praemia contigerint, gaudeo sorte tua.
Humanas experta vices secura quiescis:
Nunc mala, quae passa es, nunc meminisse juvat.

29.

Matris defunctae desiderium.

Dum mea mater eras morbo jactata perenni,
Duxi aegras noctes, sollicitosque dies.
Nunc colis Elysios, natique oblita videris,
Quem mors immemorem non facit esse tui.
Te saltem in somnis videam, narresque laborum
Praemia, quae tuleris: dulce levamen erit.

30.

Uxor ingrata.

Uxor bis jacuit morbo correpta, luemque
Vir bis pene hausit, pluraque damna tulit.

Convaluit tandem. Quae reddita gratia quaeris ?
Non semel est capiti bella minata viri.
Proh scelus ! exclamas : mirum nil foemina fecit :
Mirum , grata viro si foret uxor , erat.

31.

Herostratus , et Alexander.

Vidit Alexandri cunas , Ephesique favillas
Nox eadem templi : non fuit hoc temere.
Fax Ephesi templi , quae bello incenderet orbem,
Lumine portendit sanguinolenta facem.

32.

Sapit non qui ira caret , sed qui temperat.

Zoilus , irasci si quem videt , odit , et , ira
Tangere non debet cor sapientis , ait.
Zoilus insanit : sapiens homo nescius irae
Non est , sed , qui iram temperat , ille sapit.
Quod caret ira asinus, stupidum putat esse Galenus:
Nescius irasci mente , animoque caret.

33.

Cromwellus.

Cum victor domito Cromwellus ab hoste rediret ,
Turbaque spectatum maxima conflueret ;
Quanta tuos spectat, comes inquit, turba triumphos!
Risit , aitque , crucem non minor adspiceret.
Quid risus , dictumque velint sibi , nescius ille est,
Cui nondum populi cognita sit levitas.

34.

Napoleo.

Napoleo est aliis heros, aliisque tyrannus:
Non est judicio lis dirimenda meo.
Dum scissae partes studia in contraria certant,
Dixeris alternas sustinuisse vices.

35.

Mutuum datum.

Crede mihi centum nummos, Arsenius inquit,
Gratius esse nihil, commodiusque potest.
Protinus accepit, positisque in foenore, paucos
Post annos magnas arca flagellat opes.
Interea centum non reddidit, ac velut hostem
Me fugit, assiduus qui fuit ante comes.
Amisisse piget nummos, veteremque sodalem:
I nunc, et cautos credere posse puta.

36.

Mutuum quaesitum.

A veteri centum quaesivi nuper amico.
Cras, dixi, reddam, cras, ait ille, dabo.
Cras mihi pro nummis misit mendacia centum,
Quae nec apud pueros sint habitura fidem.
Erravi, errorisque mei me taedet; at error
Plus hic, quam centum me docuere sophi.

37.

Dima Ciappa.

Fabula dum Ciappae tota cantatur in urbe,
Quisque sua peragit pro ratione reum.
Sunt, quos nil hominis fatum conturbat iniquum:
Usque adeo humanas dedidicere vices!
Sunt quoque, qui in Ciappa damnant sua crimina tecti(*a*).
Abdita ne hos tempus prodere posse latet?
Peccantum sortem sapiens miseratur iniquam,
Sitque sibi exemplo sors miseranda, cavet.

38.

Vir in uxoris morte.

Cum periit Phyllis, periit mea sola voluptas,
Nil placuit posthac, nilque placere potest.
Atropos immanis mea tandem stamina rumpe:
Quid cessas? fati frangere jussa times?
Haud mora: sic fatum mihi Phyllida junxit, ut una
Vivere debuerim, debuerimque mori.

39.

Bene parta male dilabi piget.

Quod scindens petras potui corradere, totum
Projeci ob coecam, cautio nota canit.
Quod Sophiae studio peperi, studioque Mathesis,
Et damma, et lites eripuisse queror.
I nunc, et genium frauda, comparce: quod aegre,
Vix, et guttatim congeris, hora rapit.

(*a*) Tecti dicuntur, quorum crimina latent.

40.

Tempus amissum.

Sudavi, atque alsi, ne vitae commoda deessent:
Nunc male dilabi non male parta queror.
Damna, vices, morbi, lites, et furta rapaci
Praemia sudorum diripuere manu.
Jam mihi, quod comedam, superest, si parcius utar,
Sed gravis est stomacho quaelibet esca meo.
Amisisse piget non rem, sed tempus, et inter
Curas, quae fracta est, nec reditura salus.

41.

Qui valet, ille sapit.

Ægroto, taedetque magis non posse vacare,
Queis decet, officiis, quam miserenda pati.
Interea *recipe* hoc, quisquis me visit, et illud,
His catus, atque illis abstine, in aure sonat.
Est quoque, qui censet me plus contendere justo,
Utque mihi parcam lentus, inersque, velit.
Consulere, ut valeam, scit quisque, ego nescio solus:
Et novi, et video, qui valet, ille sapit.

42.

Furit, qui pro brevi vita aeternam negligit.

Vix nati morimur: manet altera vita perennis,
Quam brevis haec laetam, sollicitamve facit.
Interea, ut fluxæ sibi comparet otia vitæ,
Mansura æternæ commoda spernit homo,
Et magis oblitus sapientior esse videtur:
Insanire inquis: non puto, sed furere.

43.

Nomen Jesu.

Est nomen Jesu nomen super omne, quod unum
Ad Jesu nomen flectitur omne genu.
Quid simile, aut par est? venerabile nomen adorat
Cœlum, terra colit, tartara victa timent.

44.

Pugnandum paribus armis.

Publius, et Momus pugnant: hic vincit, at ille
Plus habet armorum, plus habet ingenii.
Quid caussae est? armis Momus contendit iniquis,
Armis contendit Publius ingenuis.
Quid quereris, Publi? Campo discede, vel hostem
Mucrone, ut possis sternere, sterne suo.

45.

Venus aversa.

Pro Paridis pomo certantia numina pictor
Ponere dum nimia sedulitate studet;
Tam pulchræ Juno, et Pallas ponuntur, ut illis
Territa desperet pulchrior esse Venus.
Hanc facit aversam pictor, mentique relinquit
Addendum Veneri, quod nequit ipse, decus.
Quam bene sedulitas superatur ab arte magistri!
Plus ipsis oculis mens studiosa videt.

46.

Vir de uxore garrula.

Uxor ait mecum se vivere velle, morique,
    Et mecum blaterat nocte, dieque domi.
Mentiri omnino ne dicas Phyllida: mecum
    Vivere nolle puto, sed puto velle mori (*a*).

47.

Mortalis, qui immortalia adgreditur, stultus est.

Quid cito mortalis periturus mente volutas,
    Adgrederisque audax non peritura cito?
Ausibus his vitam longum producere in aevum
    Speras? sic brevior fit tibi vita brevis.
Dum moliris opus, quod centum saecula vincat,
    Ante tuas Lachesis ridet acerba fores.

48.

Carolus X.

Africa quos fovit, fremuitque Europa tot annos
    Barbara praedones ponere jura mari,
Carolus in propriis ausus lustrare latebris
    Post paucos fregit, prostituitque dies.
Tam laeto haud alias risit victoria vultu,
    Quo tellus omnis, quo sinus omnis ovat.
Victor adhuc vicit sibi soli: Carolus orbi
    Vinceret ut toti, venit ad arma prior.

(*a*) Blaterando, et obtundendo mortem maturat.

49.

Carmina pro strenis.

Dum tibi festa dies volvente reducitur anno,
Versus pro strenis unus, et alter erit.
Dum vivis, superi semper tua vota secundent,
Et vivas Pylios, sed sine faece, dies.

50.

Difficilis mictus

Sex annos aegre minxi, sex caussa per annos
Quaesita est: medici nil, nisi verba dabant.
Interea urinae jactu breviore fluebant:
Esse videbatur semita facta minor.
Boccanera jubet strictos aperire meatus:
Adgredior chordis, *tenta* peregit opus.
Scinditur ureter, vivoque exæstuat igne:
O quando liceat mejere liberius!

51.

Vota pro salute grata.

Me vidit Raphael, dictisque excepit amicis,
Proque mea facilis vota salute dedit.
Gratius haud faceret, si largior ipse dedisset
Attalica, ac Lydia conditione frui.
Quid struit aeger opes, si non conceditur uti,
Et sitit in mediis Tantalus alter aquis?
Firma valetudo fons est, et origo bonorum:
Sunt bona, queis uti, cum lubet, usque licet.

52.

Gallorum levitas.

Quas tibi, Roma, vices non anni, at saecla tulerunt,
Gallis non anni, sed retulere dies.
Libera ab excusso surgit Respublica Regno,
Hanc velut in scena submovet Imperium.
Imperii moles varios agitata per aestus
Ipsa suo tandem pondere pressa ruit.
Cum Galli usque adeo rerum novitate trahantur;
Quis neget esse animi mobilitate leves?

53.

Nihil sine lege.

Omnia quid quereris praepostera legibus ire?
Lege sua fiunt, quae sine lege putas.
Indocti doctis, aequis dominentur iniqui:
Finge tibi hanc legem, nil sine lege vides (*a*).

54.

Garruli tumulus.

Hoc jacet in tumulo, quo non verbosior alter:
Garrula non potuit lingua tacere semel.
Nunc tacet infelix: hominis miserescito, cui non
Posse loqui est gravius, quam periisse fuit.

(*a*) Cum omnia sint in mundo connexa, nihil temere accidit. Quae absurda videntur esse, sua quoque lege accidunt. Absurdas caussas absurdi effectus consequuntur.

55.

Senes iniqui.

Novem semelque, bisque lustra condidit,
Domumque vendit Arsenus:
Emit Calenus ante natus undecim,
Decemque pene mensibus.
At ille liberis abundat, hic caret,
Agitque uterque spiritum.
Suis quod alter, alter eripit sibi (*a*).
Quis est iniquior senum?

56.

Indigens, et obstrepens tabidus.

Libros Levillus expetit, libros emit,
Librisque sedulus studet.
Sapit Levillus? inquies. Sapit! magis
In urbe nemo desipit.
Libros ut hinc, et inde comparet sibi,
Miser Levillus indiget:
Libros ut usque, et omne lectitet genus,
Phthisim Levillus imbibit.
Ut auctor ipse censeatur, anseris
Levillus instar obstrepit.
Quis indigente, et obstrepente tabido,
Quis est in urbe stultior?

(*a*) Alter, domum vendens, eripit heredibus, alter emens eripit sibi ut relinquat heredibus.

EPIGRAMMATUM

LIBER II.

1.

Brunonis Amanteae apoplexi correpti dextera obstupuit.

Ut vidit Lachesis, voluit quos falce peremtos,
Brunonis dextra restitui incolumes;
Audet mortalis mihi dextera bella movere!
Opprimere hanc certum est, vincere si nequeo.
Dixit, et insidiosa gelu stupefecit inerti,
Quam sibi fatalem senserat esse manum.
Gloria subrisit, seroque ulcisceris, inquit,
Centimanus Bruno nil tua tela timet.
Quot Bruno eduxit novus auctor in arte magistros,
Brunonis dextrae tot tibi bella movent.

2.

Bruno Amantea rursus apoplexi correptus dextera sublata, ac palpitante interiit.

Dum cadit ut subito perculsus fulmine Bruno,
Palpitat, extincto corpore, dextra diu.

Atropos oppressit, quocum pugnare timebat :
    Ausa virum morbo vincere, victa foret.
At scelere in tanto mortem jam docta fugare
    Esse videbatur nescia dextra mori.

3.

In obitu Dominici Scotti, et Felicis Nocerini.

Scottus (*a*) obit, Scottique comes Nocerinus: utrumque
    Jurasses Pylios vivere posse dies.
Si pereunt sani, quid nos sperabimus aegri?
    Ictu, quo trepidant firma, caduca ruunt.

4.

In obitu Vincentii Fatigati.

Occidit, heu facinus! Vincentius occidit ille,
    Vivere plus aliis, quam sibi, qui studuit.
Quod violare caput Lachesim puduisset iniquam,
    Diruit indigno sors inimica pede.
Re solito prodesse aliis rem sustulit : ille
    Sublatam vitam credidit, et periit.

5.

In obitu Francisci Alferii.

Qui ingenii cultu, et morum probitate superstes
    Franciscus patriae nomen, avisque dedit;

(*a*) Dominicus Scottus vulgo *Pagliara* vir et pietate, et eruditione clarus, cum diu valetudine prospera usus esset, interire statim visus est.

Dum praedæ , caedique inhiat plebs, vincula passus,
    Perculsusque gravi vulnere inultus obit (*a*).
Quam caecas homini statuerunt sidera sortes!
    Quot perimit Lachesis qua minus arte putes!
Di meliora piis : si sunt haec fata bonorum ,
    Conturbant animos , sollicitantque leves.

6.

In obitu judicis Romualdi de Horatiis.

Cum raptus terris superas Romualdus ad ædes
    Tenderet , astrorum sollicitudo fuit.
Esse suum ajebat blando Venus ore , diserto
    Mercurius , vi Mars , Uranus ingenio ,
Moribus antiquis Saturnus , Vesta, Ceresque ,
    Et Juno, et Pallas dexteritate , fide.
Jupiter , id cœli (*b*) si gloria tanta maneret ,
    Quis decus hoc , inquit, quis mihi praeriperet?
Sed Themidis libram manibus qui sustulit æquis ,
    Huic media in Libra (*c*) fata dedere locum.

7.

In obitu Dominici Rossi.

Rossius occubuit : secum doctrina , fidesque ,
    Et morum hinc abiit candida simplicitas.
Quam comis! quam blandus erat! quam fidus amicis!
    Quam bene Palladias noverat unus opes!

(*a*) Franciscus Alferius in vincula per vim conjectus , cum ibi detineretur , gravi vulnere confossus occidit.

(*b*) Coelum planetarum, supra quod stellarum coelum esse dicebatur.

(*c*) In costellatione Librae locus est judici, qui Themidis libram rexit integerrimus.

Ne effugeret lethum tantus vir, territa ferrum
Atropos intorsit, poenituitque sui.
Ille avidis manibus spolium mortale reliquit,
Et vita coepit nobiliore frui.

8.

In obitu doctissimi Antistitis Bernardi de la Torre.

Qui nulli ingenio, nulli probitate secundus
Pastorum veluti Pastor habendus erat;
Dum vetus, atque novum cautus defendit ovile,
Deficit, ac veluti fulmine tactus obit.
Quid rides, Lachesis? totus non occidit ille:
Pars melior Stygios nescit adire lacus.
Dum stat honor studiis, et recte gloria factis,
Bernardo vitam gloria, honorque dabunt.

9.

In obitu astronomi Caselli.

Flebilis occubuit toti Casellius orbi,
Et gemit ad tanti funera quisque viri:
Verum non lacrimas, sed gaudia postulat heros:
Astrorum cultor raptus ad astra volat.
Si flendus quisquam est, sit solus flebilis ille,
Quem totum Stygia comprimit Orcus aqua.

10.

Ad Judicem Josephum Castaldium in obitu Angelae Ciminiae matris carissimae.

Quod tibi, Castaldi, rapuit mors improba matrem,
Dignior est lacrimis nulla querela tuis.

Quam tenera in natum! quam dextra in rebus agendis!
Quam bona, quamque domi cauta, forisque fuit!
At non aeternis par est te questibus uti,
At matris fatum respuit has lacrimas.
Quae in terra Angelicos imitata est Angela mores,
In coelo Angelicis debet adesse choris.

11.

Lucretia.

Post vim Tarquinii sprevit Lucretia vitam,
Et sibi conscivit jam violata necem.
Laudatur vulgo factum, me judice, turpe,
Quod melius Stygiis mergeret Orcus aquis.
Ne cum mancipio caeso deprensa feratur,
Corrumpi patitur nec proba, nec sapiens.
Nam, dum non metuit crimen, sed crimini umbram (*a*),
Incidit in geminum territa labe scelus.

12.

Virginia.

Cum neque blanditiis, neque posset Claudius auro
Vincere Virginiam, vincere fraude parat.
E serva natam fingit, dominique petentis
Instruit, et judex promovet ipse dolos.
Flet virgo, et nutrix, cives trepidantque, fremuntque,
Virginius tandem, libera nata peri,
Inquit, et obtruncat. Tunc cives arma capessunt,
Tunc Latio rursus pulsa tyrannis abit.

(*a*) Si Lucretia Tarquinio indulsit, ne cum mancipio concubuisse diceretur, in scelus ruit, ne ruisse videretur.

Nempe tibi, quae aliis solet urbibus esse ruina,
Foemina, Roma, salus bisque, semelque (*a*) fuit.

13.

Lucretia, et Virginia.

Quam libertatem peperit Lucretia caede,
Caede hanc Virginiam sustinuisse ferunt.
Cum par sit nomen, non est par gloria utrique:
Virginia intacta virginitate cadit.

14.

Horatius, et Cloelia.

Lucius, ut sensit vinci non posse Quirites,
Opprimere incautos arte, dolisque parat.
Janiculum, pontemque capit, sed Coclite ab uno
Funduntur Tuscae, ponte cadente, manus.
Cloelia docta dolos, monituraque tempore cives,
In medio brevius flumine carpit iter.
Urbs, in qua virtus facit haec miracula, fatum,
Cum sole, et luna, cum Jove stabit, ait.

15.

Marcius.

Romani cecidere duces duo fulmina belli:
Restituit fractas Marcius unus opes.
Magnificas Marci res non negat esse Senatus,
At negat huic, miles quod dedit imperium

(*a*) Ob caedem Lucretiae, et Virginiae Roma expulit Tarquinios, et Decemviros.

Arte magis crevit, quam vi Respublica, et armis (*a*),
Arsque negat, miles quem facit, esse ducem (*b*).

16.

Camillus, et Marcius Coriolanus.

Pro patria quamvis exul movet arma Camillus,
In patriam bellum Marcius exul agit.
Par utriusque fuit sors, atque injuria, non par
Vis animi, atque sui, qui dominatur, amor.
Hic animo servit, cui fortior imperat alter;
Se nimis hic, patriam diligit ille nimis.

17.

Tullius.

Dum parat in patriam bellum Catilina, scelestos
Unus disjecit Tullius ore globos.
Tristis in exilium paullo post pellitur ille,
Jure pater patriae qui modo dictus erat.
Fortunæque vices, populique volubilis æstus,
Hostilesque animos quid meminisse juvat?
Quid juvat o mores! o tempora! sæpe tonare?
Quid misera vitæ de ratione queri?
Exilium, Tulli, peperit tibi lingua, tacere
Quae nunquam didicit tam ben docta loqui (*c*).

(*a*) Resp. Romana Politica magis, quam armorum vi crevit.
(*b*) Cum Duces milites eligere visi sunt, Roma suis viribus ruit.
(*c*) Tullius in exilium pulsus est non tam ob cives indicta caussa interfectos, quam ob frequentem a detecta Catilinae conjuratione jactantiam, quae ejus adversarios irritavit.

18.

Caesar.

In patriam Cæsar bellum laturus iniquum
Hærebat lentas ad Rubiconis aquas.
Transiliam flumen? bello sunt omnia agenda:
Regrediar? civis me prior alter erit.
Ancipitem, quos mente videt, rapuere triumphi:
Alea jam jacta est (*a*), inquit, et egit equum.
Quo ruis? heu gladio properas occurrere Bruti:
Inter tot palmas, totque trophaea latet.

19.

Idem.

Iratus patriæ Cæsar dum bella minatur,
Hæret adhuc lentas ad Rubiconis aquas.
At subit ambitio, nulla est mora, serviat, inquit,
Serviat imperio cum duce Roma meo.
Dixit, et oppositam petiit citus agmine ripam,
Præcipiens animo certa trophaea suo.
Siste gradum Cæsar, gladium vel conspice Bruti:
Ille tuæ vindex ambitionis erit.

20.

Penelope.

Dum studiosa die texit, quam nocte retexit
Penelope telam, decipit arte procos.

(*a*) *Tunc Caesar: eatur inquit, quo Deorum ostenta, et inimicorum iniquitas vocat: Jacta alea est.* Suet Julius. c. 17.

Virque redux post tot terræque, marisque labores,
Invenit intactos, et sine labe thoros.
Laudo fidem uxoris, malim tamen arte careret:
Nil magis ingenua simplicitate placet.
Sed fortasse velim plus, quam dare fœmina possit:
Ars est foeminei dos prior ingenii.

21.

Hannibal.

A nece Cannensi Romae Hannibal adfuit, urbem
Sollicitam facile vincere posse ratus.
Ter pugnam cecinere tubæ, ter plurimus imber
Instructas campo jussit abire manus.
Nunc fortuna negat, nunc mens hac urbe potiri:
Quid sibi fata velint jam scio, Poenus ait.

22.

Pyrrhus.

Cum premeret bello Romanos Pyrrhus iniquo,
His regis medicus scripsit epistolium:
Officiis si grata meis sit Roma, Quirites,
Extinctus medica Pyrrhus ab arte cadet.
Horruit, et regi rem detulit ipse Senatus,
Ne reus a turpi suspicione foret.
Insequar hos hostes, atque hunc complectar amicum!
Haud regum est homines noscere, Pyrrhus ait.

23.

Herbarum vis.

Difficilem ob mictum primos multumque, diuque
Consului medicos, nec tulit ullus opem.
Jam desperanti Raphael (*a*) succurrit amicus,
Verbenaque levat, consolidaque (*b*) malum.
Si tanta herbarum vis est, cum pharmacopolis,
Et medicis posthac nil mihi juro fore.

24.

Idem.

Ægre ego mejebam, medicos dare verba pigebat,
Et mihi spes misero nulla salutis erat.
Adstitit, atque herbas Raphael præscripsit amicas,
Adstitit, et mictu liberiore fruor.
Si valeam posthac, quod spero denique, numen
Aut est, aut Raphael numinis instar erit.

25.

Vitae brevitas.

Quæ cita decurrens rapitur de montibus unda,
Quæ terit æthereas torta sagitta vias,
Sunt non mendaces fugitivi temporis umbrae:
Tempus, ut illa abeunt non reditura, volat.
Mortalis nullam male contere temporis horam:
Quæ perit hora semel, non reditura perit.

(*a*) Medicus.
(*b*) Consolida major herba est, cujus radices mihi maximopere profuerunt.

26.

Criminum detestatio.

Si quod flagitium te pellicit, impiger aude,
Ut par est, animo bella movere tuo.
Sæpe facit crimen, vitam ut per crimina ducas,
Ut per virtutes, sæpe sat una fuit.
Gignit enim virtus virtutes, crimina crimen,
Quaeque semel capta est, mens terit usque viam.

27.

Alumni Seminarii Diœcesani Cardinalis Spinelli bibliothecam adepti.

Spinellus periit: legata volumina nobis
Attulit eximii mors inopina viri.
Munus lætitiam peperit, jactura dolorem:
Horum quid majus, quid minus esse putes?
Insertus coeli ni coetibus ille fuisset,
Lætitia ingenti victa dolore foret.

28.

Ludus.

Pene puer studio noctesque, diesque vacabam,
Nec potui studium linqrere pene senex.
Ut mihi consulerem morbi monuere frequentes,
Parque fuit studiis abstinuisse manus.
Ne interea vitæ caperent me taedia, ludo
Ter septem statui fallere tempus iners.
Sensit, et in chartis latuit sors improba, meque
Adspexit vultu semper iniqua truci.

Et piget, et vellem traducere lætior horas,
Sed, quæ læta venit, non venit hora mihi.

29.

Currum ascensurus ab altero curru deturbatus pene interii.

Dum currum ascendo, currus me corripit alter,
Evertitque rotas, praecipitemque trahit.
Mentis inops, sensusque cado: nisi forte tulisset
Dexter opem socius, jam periturus eram.
At currus sistebat adhuc, via lata patebat,
Adveniens lentos currus agebat equos.
Quo pacto acciderit, nemo est, qui intelligat unus:
Sors est in casus ingeniosa meos.

30.

Vivere pugnando piget.

Esse quid hoc dicam? quod nolim, velle necesse est,
Nolle, quod ipse velim: sic mea fata jubent.
Unda mihi flammam, quis credat? flamma dat undam:
Vivere pugnando nocte, dieque piget.

31.

Sibi nihil posse gravissimum est.

Rem cito conficio, si aliena negotia curo,
Si mea, quod facile est, fit mihi difficile.
Si prodesse aliis dulce est, sibi dulcius ipsi:
Est grave nil aliis posse, sibi gravius.

32.

Vota irrita.

Quae volo, nolle mihi, quae nolo, velle necesse est:
Usque adeo mea vim sentio vota pati.
Si quidquam adgredior, scirpus nodum exhibet ipse,
Et placido in pelago verberat unda ratem.
Cur alii velis, ego remis utar anhelus?
Cur nec remorum vi licet ire viam?

33.

Stephanus Masius.

Masius, ut sentit nigro carbone notari
Se, quem vel minima labe carere putat;
Ut sua facta probet, discurrit, sudat, et alget,
Evigilat noctes, evigilatque dies.
Denique fit voti compos, sed cura, laborque
Jam morbum intulerant, quo periturus erat.
Horrida tempestas miserum jactavit, et idem,
Fracta unda, in portu naufragus occubuit.

34.

Idem.

Masius audivit nigra sordescere nube
Nomen, quod purum credidit esse sibi.
Purgandum duxit, maculaque abstersit ab omni,
Sed cura, atque labor caussa perire fuit.
Vulnera non sanat clypeus post vulnera sumptus,
Telaque post ictum nil retudisse juvat.

35.

Impius.

Dum Scotus in superos movet impia verba, supernas
Rumor ait vacuas esse putare domos.
Sentit, et hoc, inquit, stulti me crimine damnant!
Credere me, in superos quo loquor ore, probo.
Quid tererem tempus, si numina nulla putarem?
Quæ credo, insector numina iniqua mihi.
Ne neget esse Deos, Scotus impius esse fatetur!
Ingeniosus homo est: non sapit, atque *sapit.*

36.

Febris.

Omnes jam vultus mutavit Cinthia, necdum
Discedit venis febris iniqua meis.
Nunc æstu torret, levior nunc mordet inertem,
Subdola nunc latitat sic, ut abesse putes.
Quo magis oppugno febrim, si hoc acrius urget,
Quid faciam, ut vincam, jam scio: nil faciam.

37.

Vota rata.

Dum Camiliani Simeonis sacra quotannis
Lux redit, in largas solvitur imber aquas.
Ciampius ad festum venit, et Castaldius; ecce
Surgit ab Eoo pulchrior orbe dies.
Irrita apud Divum fuerint cum vestra, Parisi,
Vota diu, a nostris fundere disce ratis.

38.

Garrulus orator.

Dum sacer orator Simeonis gesta recenset,
Et Demostheneo nititur ore loqui,
Verborum ambages fundit, nugasque canoras,
Fitque ipsis Fabiis garrulitate gravis.
Si ob Domini adventum Simeo suspiria fudit,
Dicendi ob finem quot pia turba dedit;
In *Confessorum* non esset classe colendus:
Deberet potius martyris esse loco.

39.

Quotidie non vivimus, sed morimur.

Nil ego nuper eram, dicor nunc esse; sed eheu!
Nil sum, cum videar dicere posse, fui.
Si quidquid vivo jam vitæ demitur ipsi,
Non ego me dico vivere, dico mori.

40.

Feritas hominum feritate ferarum vilior.

Indulsi plus æquo aliis, mihi parcius æquo,
Sic placidam vitam vivere posse ratus.
Hinc mihi perpetui manarunt semina belli,
Inque meum toties tela retorta caput.
Impune improbitas, quem lædere posse putavit,
Lædendum cunctis credidit usque modis.
Vilior est feritas hominum feritate ferarum:
Quæ lædit metuens nil sibi, nulla fera est.

41.

Malefacta pro benefactis.

Me mihi non soli natum cum forte putarem,
Qua benefeci aliis, gratior hora fuit.
At bene pro factis semper malefacta recepi,
Et, qui debebat plus mihi, plus nocuit.
Indignata fremit natura, mihique cavendum,
Ne lædar toties, imperiosa monet.
Sit bonus, ut bonitas, colubrum qui pectore fovit,
Cavisset, Stygiis si rediisset aquis.

42.

Silentium facundum.

Dum litus mea cymba legit, tu ducis in altum,
Iratisque jubes solvere vela notis.
Solvit, et insanos fluctus animosa lacessit,
Territa quæ motus horruit ante leves.
Auspice te peraget cursum, quem te auspice coepit.
Si, duce te, currit, tu Palinurus eris.
Jam nunc si vellem, Præsul, tibi reddere grates,
Lingua, manusque mihi non satis una foret.
Jure silet mea musa: silentia plura loquuntur:
Si foret ausa loqui, dixerat illa minus.

43.

Pluvia post nebulas.

Jam decimo lustro superadditur altera messis,
Et vixi paucos, sollicitosque dies.
Subtrahe, quos duxi confectus febribus annos,
Opprimit infantis cana senecta caput.

Quod superest vitæ, si quid superesse videbo,
    Quo celeri passu, quove colore fluet?
Quæ gravia alta cadunt, motu properante feruntur;
    Solvitur in pluvias nubibus atra dies.

44.

Philosophus oblatos honores respuens.

Quanto alii studio, ut captent, torquentur, honores
    Tu oblatos fugias, nocte dieque studes.
Nil admirari, nil quærere, parcius uti
    Fortuna, et meritis vidimus ante bonos.
Tu cohibes animum sic, ut quoque jure paratis
    Abstineas: veri hæc sunt monumenta sophi.

45.

Napoleonis miles.

Milite, quo domuit gentes, populosque subegit,
    Napoleo tandem victus ubique fuit.
Mirantur stulti: nam vultus militis idem,
    Non eadem virtus, ingeniumque fuit.
Cum sensit miles sibi nectere vincla triumphos,
    Temporibus lauros sustulit ipse suis.

46.

Napoleonis interitus.

Napoleo, cui parvus erat, dum floruit, orbis,
    Insula jam victo cui domus ampla fuit,
Occidit, et tenues abiit velut ignis in auras,
    Lumine qui rutilo, sed fugiente micat.

Viderat ante sibi, Gallorum sanguine multo
    Quæ steterant, fato jam cecidisse pari.
At vivit nomen. Vivat post sæcula centum:
    Hac ego noluerim posteritate frui.

47.

Regi a Sicilia Neapolim redeunti.

Parthenope geminat plausum, Trinacria luctum,
    Illa sui reditu Principis, hæc abitu.
Hic plausus nectit regi, luctusque coronam,
    Nectere cui nequeunt mille trophæa parem.

48.

Vir de uxore ingrata.

Uxorem duxi famæ, vitæque timentem:
    Hæc mihi sperabam fœmina grata foret.
Dum secura malis finem posuisse putabat,
    Explicuit veteris semina dira luis.
Ut valeat, mihi cura prior, valuitque, sed ipse
    Pene hausi virus, pluraque damna tuli.
Ingratæ auxerunt animos benefacta puellæ,
    Garrula quæ facta est, dira, superba, procax.
Erravi, piget ah! mox illam errasse pigebit,
    Sed sero stultos dic sapuisse Phryges.

49.

Fallaci.

Spem quoties in te posui, spes usque fefellit,
    Et tua verba leves usque tulere noti.

Improbus interea poscis credique, colique!
Os miror, quo non durius esse potest.

50.

Poetarum semina.

Da Mæcenatem, da quæ Deus otia fecit,
Da validas vires, arma, virumque canam.

51.

Afragola.

Quod dedit a fragis fragorum villula nomen,
Servo, sed omnigenas congero ruris opes.

52.

Uxor Firma a marito Levi relicta.

Firma relicta Levi jacet hoc sub marmore: fatum
Triste videbantur nomina præcinere.

53.

Foemina pulchra, et bona.

Foemina pulchra oculos, bona cor movet: illa videtur
Gemma, haec thesaurus; sed bona dic ubi sit?

54.

Praeclara minanti.

Nil scis, nilque potes: scire, et posse omnia jactas.
Nunquam te vidi, sed facis, ut videam.

55.

Sibi cavendum.

Vita fugit, mors certa instat, mortisque futurae
Incertus color est, nec tibi stulte caves?

56.

Villa.

Otia quae domini facio nunc villa, Mathesis,
Et Sophiae fructus non sine laude fui.

57.

Largius.

Largius hic situs est: vixit sibi, vixit amicis,
Plusque aequo ut studiis viveret, occubuit.

58.

Candidus.

Candidus hic situs est: sua tempora tempore novit,
Curaque, dum vixit, prima latere fuit.

59.

Sub imagine Largi.

Hæc forma est Largi : si vis cognoscere mentem ,
Quos libros aliis , et sibi scripsit , adi.

60.

Idem.

Hæc forma est Largi, lustris bis quinque peractis :
Cernitur in libris mens , animusque suis.

61.

Idem.

Os Largi huic tabulæ , mens est commissa libellis ,
Quos scripsit : silet hoc , non silet illud opus.

62.

Domus Largi.

Est Sophiæ fructus domus hæc, fructusque Mathesis:
Pulchrior esse potest , gratior esse nequit.

63.

Idem.

Ne toties mutare domum me aliena libido
Cogeret , hanc emi : culta , rudisve , mea est.

64.

Idem.

Pensio cum domuum staret quanti emtio ; ut esset
Certa mihi, hanc emi : culta , rudisve , mea est.

65.

Villa Largi.

Otia quae domino facio nunc villula vivo ,
Composito terram suppeditabo levem.

66.

Idem.

Blanda senescenti domino facit otia villa ,
Quæ juvenis longo parta labore fuit.

67.

Villa, et fundus.

Sunt villa , et fundus studiorum praemia Largi :
Villa dat a studiis otia , fundus alit.

68.

Villa , domus , et fundus.

Villa, domus , fundus dant otia , commoda , victum :
His carui , hæc studiis sunt mihi parta meis.

69.

Largi tumulus.

Terra tegit Largi corpus, quæ sæpe refecit;
Quae ante salubris erat, credita terra levis.

70.

Properat vendere, qui semper emit.

Priscus emit quodcumque videt: me judice, Priscus
Non emit, at properat vendere quidquid habet.

71.

Nimius Iri sumtus.

Plus, quam res patitur tua, sumtus congeris, Ire;
Iri nomen habes, omen habere cupis.

INNO
A
SERAPIDE [a].

1.

Di Serapide al Tempio volate,
  Voi, che in preda de' mali affannate!
  Sorgon raggi di vita dal Nume,
  Come raggi di lume = dal Sol.
E da' raggi salubri di vita
  La coorte de' mali colpita
  Par, che frema; = ma palpita, trema,
  E poi spiega retrogrado il vol.

2.

Di Pandora dall' urna fatale
  Quando il germe si schiuse del male,
  Ogni morbo sull' uomo languente
  Il suo livido dente = vibrò.
Precedeva la schiera orgogliosa
  L' aspra tosse, la gotta nodosa,
  L' asma ansante = la febbre estuante,
  Che di Lachesi il passo affrettò.

Di Serapide etc.

(a) Avendo l' autore nel 1825 sperimentati salutevoli gli effetti delle acque termo-minerali dello Stabilimento de' bagni in Pozzuoli, il Direttore del medesimo gli disse per ischerzo, che la gratitudine esigeva un Inno a Serapide.

3.

De' mortali l' atroce destino
Fè sentirsi nel cuore divino :
Chi de' Numi soltanto si scosse ,
Chi del cuore le mosse = seguì :
Esculapio dal cielo discese ,
De' rimedj la scienza si apprese ,
Ma confusa = la scienza più astrusa
Le speranze dell' uomo tradì.

Di Serapide etc.

4.

Da Serapide allora fu aperto
Contro i mali l' asilo più certo :
La rea turba al vederlo si arresta ,
Nè l' ingresso ne infesta = col piè.
Alle falde di lieta pendice
Ride ancora l' asilo felice
Sotto un cielo = ridente , che al velo
Delle nubi soggetto non è.

Di Serapide etc.

5.

Ha nel centro gli avanzi di un Tempio
Di cuor grato mirabile esempio :
Cerca il tempo atterrarlo , ma frale
Sente l' urto dell' ale = tuttor.

Ha ne' fianchi le vene di un rio
Riscaldato dal fiato del Dio;
Chi discende = in quell' onda, riprende
Il perduto primiero vigor.

Di Serapide etc.

6.

Vede il cieco per opra divina,
Ode il sordo, l' attratto cammina;
Sente il varco alla voce dischiuso
Della lingua chi l' uso = non ha.
Il trafitto d' acuti dolori
N' ha solleciti, e pronti ristori,
Ed il sangue, = che gelido langue,
Nelle vene più caldo si fa.

Di Serapide etc.

7.

Egra turba, che al Tempio ti spingi,
Qual Serapide in mente ti fingi?
Io non canto gli Egizj deliri,
Il Serapide Osiri = non fu.
Il Serapide vero è quell' Ente,
Che non nacque, e fe tutto dal niente;
Egli l'onda = che 'l Tempio circonda,
Animò di celeste virtù.

Al Serapide vero volate etc.

AD

SERAPIDEM

ODE.

Adite Templum rite Serapidis ,
Ægri malorum praeda : fugat Deus
Ab arce morbos , ut tenebras
Ore fugat rutilante Phoebus ;

Vitæque telis icta salubribus
Cohors malorum non fremit , at pavet ,
Tremitque , et adversum laborat
Carpere iter fugiente penna.

Pandorae aperta pyxide , quod mali
Semen latebat , prodiit : hinc sinu
Quot Orcus educit , tot atro
Dente hominem petiere morbi.

Ducebat agmen , quæ scatet undique
Podagra nodis , tussis et aspera ,
Quæ anhelat ασθμα , quaeque lethi
Fida comes solet esse, febris.

Ars Æsculapi pluribus attulit
Levamen ægris , sed cito inanibus
Distracta verbis , pharmacisque
Spes hominum miseras fefellit.

Certum Serapis denique condidit
Ægris asylum : turba videt rea ,
Fremensque consistit , nec audet
Claustra loci violare sacri.

Sub calce læti ridet adhuc jugi
Beata sedes : forte salubrior
Non est recessus : purus aer ,
Sol nitidus , nebulæque nullæ.

Templi recondit relliquias sinu ,
Mirasque grati cordis imagines :
Insultat his alis , sed alas
Jam fragiles dolet esse Tempus.

Hinc inde rivi vena tepens fluit ,
Quam Numen afflat. Quisquis in hanc semel
Descendit undam , quem vigorem
Perdiderat , rediisse sentit.

Favente coecus Numine jam videt ,
Jam surdus audit : qui stupet artubus ,
Incedit ultro , quæ hæsitabat
Lingua , sonos resoluta flectit.

Non experitur tarda levamina
Fractus dolorum pondere : frigidus
Qui sanguis in venis coibat ,
Jam fluitat , calidusque fervet.

Quod ægra Templum turba , quod adpetis ?
Qualemque fingis mente Serapidem ?
Ne fallat Ægypti te Osiris ,
Has refugit mea musa nugas.

Serapis ille est , qui dedit omnibus ,
Quem nescit ortum : duxit ab ubere
Hoc fonte , qui Templum coronat ,
Rivus opes , medicasque vires.